Goell, H. A.

De Triumphi Romani origine... 1854.


ENDURE FORT
Bibliotheca Lindesiana.

DE

TRIUMPHI ROMANI

ORIGINE, PERMISSU, APPARATU, VIA

SCRIPSIT

HENR. ARMIN. GOELL

PH. D. A. L. M.

SCHLEIZAE

APUD CAROLUM HUEBSCHER.

1854.

DE

TRIUMPHI ROMANI

ORIGINE, PERMISSU, APPARATU, VIA

SCRIPSIT

HENR. ARMIN. GOELL

PH. D. A. L. M.

SCHLEIZAE

APUD CAROLUM HUEBSCHER.

1854.

HENRICO THEOPHILO GOELL,

RUTHENEI SCHLEIZENSIS PRORECTORI,

PATRI OPTIMO,

HUNC QUALEMCUNQUE LIBELLUM

D. D. D.

ARMINIUS GOELL.

Ligna in silvam ferre videbor, qui rem tam saepe examinatam atque illustratam mihi elegerim retractandam. Attamen in hac tam nota re nonnulla insunt, quae, quum adhuc obscura sint, nova quaestione indigent, nonnulla vero etiam, quae quum errore saepe repetito auctoritatem quamdam obtineant, corrigenda sunt. Quod autem ultimam opusculi partem attinet, complures erant causae, quae quominus fidenti animo eam aggrederer, me impediebant. Primum enim, quum tota Urbis topographia, quam dicunt, tum Triumphalis portae definitio, iram stomachumque virorum doctorum tantopere jam movit, ut, si quis in eam disciplinam incumbere velit, ne offendatur magis quam delectetur verendum sit. Deinde ego, quippe qui nunquam Urbem viderim, astygraphorum pugnae me inserens arrogantiae crimen effugere vix posse videbor. Verumtamen quum neque Bunsenii ab Urlichsio haud prospere defensam neque Beckeri a Prellero quodammodo tantum immutatam de porta Triumphali sententiam comprobarem, non poteram, quin denuo diversas de ea re opiniones examinarem, sperans fore, ut, quoniam tota fere controversia e verbis tantum veterum scriptorum dijudicari possit, si minus invidiam, insolentiae speciem evitarem.

Scripsi
Fellini Livonorum,
Non. Decbr. MDCCCLIII.

De Triumphi

I.) Origine . . . . pag. 1 — 7
II.) Permissu . . . . „ 8 — 21
III.) Apparatu . . . . „ 22 — 43
IV.) Via . . . . „ 44 — 57

I. De Triumphi Origine.

Quamquam in plurimis quaestionibus primo loco nominis ortus respici solet, quippe qui saepissime rei ipsius, de qua agitur, origini aliquantum lucis afferat, tamen hac nostra in re, cujus nomen quum obscurum, tum — ut statim dicam — adventicium videtur esse, etymologiam, quam dicunt, in alium locum differam.

Apud omnes fere populos mos fuit, ut victores e bello redeuntes honorifice a civibus suis exciperentur festumque reditus diem sollemniter agerent. At nusquam legimus ullius populi duces Romanorum triumphantium honorem adaequasse, qui Jovis ipsius Capitolini regumque antiquorum speciem prae se ferentes humanae vitae conditionem excessisse videbantur. Itaque, quod a Romanis ipsis uni deorum inventio triumphi attributa est, mirari non possumus. Bacchus, Asiae victor, curru tigribus juncto vectus, a Satyris Bacchisque circumdatus, primum triumphi exemplum dedisse iis videtur.[1] Non solum Marius, cantharo potans, quod Liber Pater eodem poculi genere usus esset, victoriae ejus suas victorias comparare solebat,[2] sed etiam Antonius Alexandriae, ut Cleopatrae triumphi spectaculum praeberet, de Artasasde Armenio triumphans, hederis redimitus, thyrsum tenens, cothurnis

[1]) Plin. hist. n. VII. 57. VIII. 2.
[2]) Valer. Max. III. 7, 7.

succinctus eundem deum imitatus est.[3]) Sine dubio ea opinio, quam jam antiquo tempore e Magna Graecia ad Latinos translatam esse puto, Graecia demum ipsa capta apud Romanos increbruit. Tum enim scriptores Graeci, Romanorum doctores facti, ut Graecos Romanorum institutorum et morum auctores facerent, maximam operam dabant. Imprimis Dionysius in hoc studium incubuit itaque triumphalem quoque et Circensem cum similibus Graecorum pompis comparavit.[4]) Sed non tantum a veritate ii mihi videntur abesse, qui pompam triumphalem ab Romanis de Etruria assumptam esse dicunt. Sic Appianus, Scipionis triumphum describens,[5]) citharistarum et ludiorum choros nominat μιμήματα Τυῤῥηνικῆς πομπῆς. et Florus[6]) affirmat, Romanos inde a Tarquinii Pr.[7]) tempore aureo curru, quattuor equis, toga picta, tunica palmata usos esse. Neque quisquam infitiari potest, Etruscos multis artibus finitimos omnes antecelluisse atque multas eorum res in Etruscam formam redegisse. Deinde splendoris et magnificentiae studium, quo tenebantur, notum est; quid? quod adhuc vasa exstant picta, quae manifestam alicujus pompae imaginem exhibent.[8]) Ante quadrigam Lucumonis cornicines et citharistae eunt, nec lictor deest cum bacillo. Genius quidem, alis praeditus, qui facem tenens in equo sedet, funebrem potius, quam triumphalem pompam indicare videtur, nihilo tamen minus singulae picturae partes Romanae pompae satis respondent. Quod autem attinet ad vestes, quae in vasis illis jam discerni non possunt, non in triumphi tantum usum Romam translatae sed propria Etruscorum et Romanorum regum insignia videntur fuisse.[9]) Reperiuntur enim in cistis Etruscorum funebribus imagines princi-

[3]) Dio Cass. XL. 51. Vellej. II, 82.

[4]) Dionys. VII, 72.

[5]) Appian. VIII, 66.

[6]) Flor. I. 5. cfr. Strab. V, 2, 2. O. Müller, Etrusker, I, pag. 371.

[7]) Plutarch. Romul. c. 16.

[8]) O Müller, II. 198. Georg. Dennis: „die Städte und Begräbnissplätze Etruriens", übers. v. Meissner. 1852. II. p. 486. Micali, Italia av. Roman. tav. 34, 35.

[9]) Priorum regum Romanorum vestis non picta sed trabeata toga fuisse fertur, eaque apud Latinos usitata. Macrobius (Sat. I. 6.) Etrusca insignia jam Tullo Hostilio tribuit. Cfr. Becker, Handbuch, II. 1. p. 337.

pum miniatorum et bullis aureis ornatorum, qui simillimi igitur sunt hominibus triumphantibus;[10]) ac tantum abest, ut nostrae sententiae obstet, quod idem hic triumphalis habitus Jovis quoque ipsius Capitolini ornamentum fuit, ut quasi retro nobis inde concludere liceat, reges Etruscos, qui arctissime cum sacerdotibus conjuncti erant, diis proximos in terra versantes, suas quas noverant augustissimas splendidissimasque vestes deo quoque summo induisse. Accedit vero etiam certum Dionysii testimonium, qui (lib. III. 62.) Tarquinii Pr. insignia regia ab Etruscis ei missa ita describit: *Στέφανόν τε χρύσεον ἐφόρει καὶ πορφυρᾶν ἐσθῆτα ποικίλην ἠμπείχετο, καὶ σκῆπτρον ἐλεφάντινον ἔχων ἐπὶ θρόνου ἐκαθέζετο ἐλεφαντίνου, καὶ οἱ δώδεκα ῥαβδοῦχοι τοὺς πελέκεις φέροντες κ. τ. λ.* Deinde ceteros reges eodem habitu usos esse dicit, consules vero coronam et vestes pictas deposuisse *πλὴν ὅταν ἐκ πολέμου νίκην κατάγοντες θριάμβου παρὰ τῆς βουλῆς ἀξιωθῶσι, τότε καὶ χρυσοφοροῦσι καὶ ποικίλαις ἁλουργίσιν ἀμφιέννυνται.* Etiam lib. VIII. 47. Siccius de Volscis triumphans describitur: *ἅρματι παρεμβεβηκὼς χρυσοχαλίνων ἵππων, τὴν βασιλικὴν ἠμφιεσμένος ἐσθῆτα.* — Libera autem republica paullatim origo triumphalium ornamentorum oblivione est obruta, ita ut Romani, praesertim quum vestes triumphales in Jovis templo reponerentur, semper divinum tantummodo earum honorem praedicarent.[11])

Itaque ea, quae ad pompam ornandam, imprimis ad habitum victoris pertinent, Etrusca appellare non dubito; at non in animo habeo, eandem ob causam triumphi ipsius originem Tarquiniorum tempori adjungere. Parvi quidem momenti mihi est Romuli triumphus, a Plutarcho et Dionysio descriptus, quorum uterque simplicissimum triumphi modum, tamquam a Romulo inventum, sibimet ipse excogitavit.[12]) Etiam Livius „triumphandi" verbo non utitur, sed Romulum, ait, spolia ducis hostium caesi gerentem in Capitolium ascendisse.[13]) Sed qualis Romuli, si unquam ipse exstitit, triumphus fuerit, neque Plutarchi vel Livii potuit,

[10]) Müller, I, p. 374.
[11]) Liv. X. 7. Suet. Octav. 94.
[12]) Plut. Rom. 16. Dionys. II. 34. Quid, quod Propertius (Eleg. IV 1. 32.) de „quattuor Romuli albis equis" loquitur?
[13]) I. 10.

neque nostro tempore poterit certe definiri; habitos esse triumphos antiquissimo illo tempore, nequaquam negaverim. Immo rectissime Niebuhrius, triumphos jam ante Romam conditam a Latinis actos esse, censuit.[14]) Etenim haud raro reipublicae temporibus fieri solebat, ut triumpho Romae denegato imperatores in monte Albano triumphum haberent, laurum et gratias referentes Jovi Latiari, qui foederati olim Latii praeses, usque ad extrema imperii Romani tempora Latinarum feriarun sollemnibus colebatur. Primus in illo monte triumphasse dicitur Papirius Maso de Corsis a. u. 523.[15]) Jam vero nemo facile sibi persuadebit, Papirium illum, qui ipse pontifex fuerat, cujus genti inde a primo rege sacrificulo pontificatus paene hereditate traditus erat, novum sibi honorem eumque cum deorum cultu conjunctum arrogasse. Nonne multo verisimilius est, ut Papirius, quem e pontificiis libris noverat, antiquum morem imitatus sit? Nam dum res Albanorum stabant, rex Albanus et sacra Jovi fecit et triumphans montem ascendit; deleto autem Albano regno dictatores Latini summum illum honorem sibi sumpserunt, donec Tarquinius Priscus, devicto Latio, se Latinorum patronum fecit, fortasse etiam primus Romae totum Etruscae pompae apparatum, quem Albanus mons saepius antea viderat, explicuit. Deinde regibus exactis quum Romani per Cassium cons. a. u. 261. aequum cum Latinis foedus inissent, procul dubio status rerum priori similis rediit. Nam quoniam aequa praedae pars Latinis danda erat, quoniam duces utriusque populi alternis annis exercitui conjuncto praeerant,[16]) Latinos imperatores, qui forte victoriam reportassent, non Romae, sed in Albano monte triumphasse manifestum est. Centum fere annis post Latinis simulacrum tantum aequi foederis remanserat, neque tamen post primum Punicum bellum omnem pristinae conditionis memoriam abolevisse credibile est. Papirius igitur Maso majorum morem renovans proprie non consul Romanus sed imperator Latinorum sociorum triumphum egit. Cete-

[14]) Niebuhr II. p. 41. Klausen, Aeneas et Penat. p. 798. Schwegler, Röm. Geschicht. p. 341.

[15]) Plin. hist. n. XV. 38. Valer. Max. III, 7. 5.

[16]) Fest. s. v. Praetor. Wachsmuth, Röm. Gesch. p. 266.

rum triumphus ille Albanus placidiore minusque bellicosa forma videtur fuisse; myrto enim, Veneris Victricis fronde, non lauro redimiti triumphabant imperatores.[17])

Quae quum ita sint, reliquum est, ut Albani sive Latini triumphi fontem indagemus. Reperiri is potest in ipsis populorum moribus. Quamvis enim cavillatio illa jocique intemperantia, qua non solum milites in triumphis sed etiam cives et mimi, in pompa Circensi, quin in funeribus utebantur, a gravitate et severitate reliquae Romanorum vitae discrepent, tamen ex eo quod antiquissimo jam tempore talia ludibria exercebantur,[18]) colligere debemus, illud studium fuisse Latii populis proprium atque innatum. Jam vero si de antiquo triumpho splendorem Etruscum, postea additum detraxeris, nihil restabit nisi simplex victorum reditus et introitus cum acerba illa et petulanti militum licentia conjunctus. Quidni igitur triumphandi morem in ipso Latio ortum esse putemus? Non desunt quidem nostro quoque tempore, qui Magnam Graeciam matrem pomparum Romanarum nominent, qui igitur triumphum e Dionysiorum ritu natum esse censeant. Sed quamvis concedam, antiquissimo jam tempore multiplex Latinis et Romanis cum Graecis, imprimis Cumanis[19]) commercium fuisse nonnullaque ejus vestigia et in cultum deorum et in linguam transiisse, tamen similitudine sollemnium non probatur Graeca eorum origo. Mox sane Graecorum *Διόνυσος* cum Libero patre, Sabinorum Loebasio confundi coeptus est neque falso, Dionysi cultum jam a. u. 255. Romanis bene notum fuisse, vel ex eo concluditur, quod Liberalibus, quae illo anno instituta sunt, adolescentibus fausti ominis causa toga virilis data est. Dionysus enim apud Campanos *Ἥβων*, i. e. matura juventute florens, appellabatur.[20])

---

[17]) Fast. triumph. Orell. p. 141. Plin. hist. XV. 38.

[18]) Hor. ep. II, 1. 139. Tibull. II. 1. 55. Virgil. Georg. II. 158. Praecipue auctumno, vindemiae tempore, agricolae veteres gaudio exsultantes profuso jocandi generi se dedebant, personati veste mutata choros ducebant, versibus incomptis et Bacchi laudes canebant et sese invicem rusticis opprobriis cavillabantur.

[19]) Heffter, Gesch. der lat. Spr. p. 55.

[20]) Merkel, p. CCXXXVIII.

Denique etiam Satyristarum et Tityristarum chorum, quem Appianus *μίμημα Τυρρηνικῆς πομπῆς* dixit, nolim cum O. Müllero[21]) totum ex Etruria Romam transferre. Nam sine dubio Ludiones, quos Livius[22]) anno demum pestifero 389. ex Etruria accitos esse certe tradit, ab illis triumphi mimis, quos Appianus[23]) etiam *λυδοὺς* nominat, nihil differunt. Fortasse igitur veterum Latinorum juvenes mimicos choros ducentes imperatoribus suis praeibant. ludiis autem Etruscis accitis, exculta eorum arte superati et capti rem iis concesserunt. Sed de tota hac re accuratius tertia commentationis parte agetur.

Unum adhuc restat, de quo mihi dicendum est, nomen ipsum triumphi, quod postquam moris originem Latio reddidi, insignia victorum Etruriae ascripsi, non possum non Graeciae adjudicare. Etenim, quum satis antiquo tempore Latini Graecorum hominum et morum cognitionem haberent, quum vindemiarum ludibriis simili fere modo delectarentur, etiam a Latinis laetae illae Dionysi invocationes: *Ἰὼ Θρίαμβε, Ἴακχε*, et aliae auditae, deinde usurpatae esse possunt. Sicut autem ex acclamationibus multa ipsius Dionysi cognomia orta sunt, ut *Ἐλελεύς* et *Εὐάν*, ita apud Romanos e laeto illo clamore pompa etiam nomen ducere potuit. Videtur enim illud Bacchi cognomen apud Romanos mox propriam significationem amisisse nihilque nisi gaudii signum mansisse, id quod ex antiquissimo illo Arvalium fratrum carmine apparet, in quo extremo quinquies verbum „triumpe“ repetitur. Fratres autem post sollemne precationis carmen eam vocem edentes quasi laetam fiduciam exprimere videntur; nisi forte alia de verbi nostri origine sententia vera est, quae „triumpho“ easdem syllabas, quas primitivas grammatici dicunt, ac „tripudio“ tribuit, ut proprie sit saltatio fratrum Arvalium tripudiantium, indeque saltatio triumphalis et ipsa pompa triumphalis. At primum in „triumpho“ vocabulum istorum primitivum „ped“, quod in „tripudio“ aperte elucet, ita extenuatum est, ut vix ex unius litterae vestigio agnosci possit. Deinde fratres Arvales inter saltandum ipsum

21) II, p. 197.
22) VII, 2.
23) VIII, 66.

saltationis modum numerorum causa vocantes nequeo sine risu mihi cogitare. — Graecam autem vocabuli originem nullus scrupulus etymologicus — ut ita dicam — impedit. Ante Ciceronis enim aetatem aspirationem litterae p defuisse Cicero et Quinctilianus testantur[24]) et praeter carmen illud Arvale permulti nummi ostendunt. Praeterea notum est, priscos Romanos duriores litteras consonantes retinuisse, ut „berber" pro „fervere", „advocapit" pro „advocavit". Deinde eodem modo Graeca littera a (θρίαμβος) in u a Romanis mutata est, quo Ἑκάβη in Hecubam.

Itaque apud Romanos idem factum esse videmus, quod Graecis accidit. Hi primum Dionysum deum θρίαμβον nominarunt, postea dei cognomen in hymnos dei celebrandi causa cantos, et pompas ei actas transtulerunt; illi eandem laetam acclamationem assumpserunt eademque imperatorem redeuntem salutantes deinde ipsi victoris pompae idem nomen dederunt. Eodem modo etiam „ovandi" nomen, quod Plutarchus inepte ab ove in Capitolio mactata ducendum esse putat (Marcell. 22.), ut Graecorum εὐάζω, laeto clamori originem suam debet. Etiamsi enim verum esset, quod Plutarchus dicit, imperatorem ovantem neque cantu neque acclamatione honoratum esse, tamen illud vocabulum non cum ipsa ovatione ortum sed primum ampliorem significationem habuisse, deinde ad triumphum minorem translatum esse potest.

Ceterum postea quum Romanae litterae Graecarum auxilio florerent, Triumphus rursus divina specie indutus est. Nummi enim inveniuntur Triumphi dei caput promissis et cincinnatis crinibus ostendentes,[25]) imprimis in Papiae gentis nummis praeter lupam facem ore gerentem et aquilam caput Triumphi laureati expressum est. Denique idem sibi volunt notissimi hi Horatii versus (Od. IV, 1.):

Tuque dum procedis, Jo Triumphe,
Non semel dicemus Jo Triumphe!
Civitas omnis dabimusque Divis
Tura benignis.

---

[24]) Cic. orat. 45. Quinct. inst. I. 5. §. 20.

[25]) Rasche, lexic. rei num. V. p. 154. Cfr. Klausen, Aeneas u. d. Penat. p. 777.

II. De triumphi permissu.

Duces Romani post allatam hostibus cladem satis magnam a militibus imperatores consalutati [1]) fasces suas lauro ornabant [2]) et senatum per tabellas lauro redimitas [3]) de victoria sua certiorem faciebant, simulque, ut suo nomine diis immortalibus publica supplicatione gratiae agerentur, petebant. [4]) Supplicatio autem vel gratulatio, si Ciceroni fidem habemus, nunquam ulli imperatori denegata est ab senatu, nisi T. Albutio et a. u. 698. A. Gabinio, scelerato Syriae proconsuli. [5]) Ante Camilli tempus supplicatio spatium quattuor dierum non explevit; Livius enim Camilli quatriduum commemorans „quot dierum", inquit, „nullo ante bello." [6]) Sed jam a. u. 459. quattuor dierum supplicationem videmus [7]) et Ciceronis tempore semper fere quattuor vel quinque dierum supplicationes decernebantur. [8]) Jam vero dominatione ingravescente

[1]) Republica eversa nonnunquam ab Augusto et Tiberio nomen imperatoris dabatur: Tacit. Ann. III. 4. „Tiberius id quoque Blaeso tribuit, ut Imperator a legionibus salutaretur, prisco erga duces honore, qui bene gesta republica gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur erantque plures simul imperatores nec super ceterorum aequalitatem. Concessit quibusdam et Augustus at tum Tiberius Blaeso postremum."

[2]) Dio Cass. XLI. 52.

[3]) Liv. XLV, 1.

[4]) Formula senatusconsulti de supplicatione erat: „quod bene ac feliciter res publica gesta esset." Liv. XXXI, 40.

[5]) Cic. ad Quint. fr. II. 8. in Pis. 19. Attamen tertium exemplum est L. Cornelii cons. a. u. 559. apud Liv. XXXV. 8.

[6]) V. 23.

[7]) X. 9.

[8]) Cic. de prov. cons. 11.

etiam hujus honoris modus non servatus est: Pompejo decem dierum supplicatio decreta est, Caesari primum quindecim, deinde viginti, tum quadraginta, denique post Mundense proelium quinquaginta dierum.[9]) — Imperatores igitur supplicationis decreto ornati, semper spem quoque ipsius triumphi conceperunt, neque tamen omnes triumpharunt. Nam quum ad decernendam supplicationem jam laureatae imperatoris litterae valerent, ante triumphum legati tribunique audiebantur. Optime eam rem exponit Ciceroni, qui supplicationem adeptus triumphi quoque honorem satis immeritum captabat, Cato haec scribens:[10]) „Quodsi triumphi praerogativam putas supplicationem et idcirco casum potius quam te laudari mavis, neque supplicationem semper sequitur triumphus et triumpho multo clarius est, senatum judicare, potius mansuetudine et innocentia imperatoris provinciam quam vi militum conservatam esse.“

Provincia autem pacata imperatores cum exercitu suo Romam redeuntes, quum ad urbem appropinquarent ab universo senatu gratias agente excipiebantur[11]) statimque triumphum petere solebant. Quodsi autem quaerimus, a quonam de maximo, cujus homo Romanus particeps fieri poterat, honore deferendo dijudicatum sit, semper fere senatum ejus rei arbitrum fuisse, notum est. Sicuti enim omnes ludi extraordinarii, supplicationes, omnia, quae ad honorem et cultum deorum pertinebant, a Patribus decernebantur, certe Patrum quoque erat imperatorem, cui imperium dederant et subsidia omnia suppeditaverant, divino illo honore praeditum pro se atque universo populo diis grates agere et sacra facere jubere. Ad hoc accedit, quod etiam impensae triumphi ex aerario praebebantur, cujus dispensationem senatus habebat. Atque decus triumphi minuebatur adeo, si quis sump-

[9]) Dio Cass. XLIII, 42.

[10]) Cic. ad Fam. XV, 5.

[11]) Ut Cicero: Plut. 43. Vellej. II. 40. Varro in secundo Pun. bello: Liv. XXII, 61. Camillus: Liv. V. 23. Contraria exempla sunt T. Manlii (Liv. VIII. 12.), cui seniores tantum obviam iverunt juventute ob severitatem eum exsecrante, et A. Gabinii (Cic. ad. Qu. fr. III. 2.). Cfr. Plin. panegyr. c. 15.: „Gratum erat cunctis, quod senatum osculo exciperes (e Pannonia rediens), ut dimissus osculo fueras.“

tum non ex aerario acceperat.[12]) Qua in re nonnihil sane obscuritatis et dubitationis inest. Videmus enim imperatores magna libertate usos praedam vel totam vel ex aliqua parte militibus suis permisisse aut venditam in aerarium retulisse. Num igitur credibile est, imperatori, quum omnem praedam, quae proprie ad quaestores redigenda erat, suo arbitrio in aerarium ferre aut dividere posset, ne tantum quidem, quantum ad triumphum celebrandum opus esset, retinere licuisse? Fortasse ipso senatusconsulto, quo triumphus decernebatur, imperatori copia dabatur, pecuniae ex hostibus captae quantum opus esset, in pompam suam impendendi; fortasse iis, qui nullam praedam retulerant, certa pecunia ex aerario permittebatur. Quicumque igitur in Albano monte triumphabat suis impensis rem instituebat. Extremo autem reipublicae tempore imperatores auro tantum coronario e provinciarum urbibus collato triumphorum sumptus videntur sustinuisse.[13])

Nihilo tamen minus jam ex antiquissimo reipublicae tempore non desunt exempla, quibus nonnunquam sine auctoritate senatus populi tantum jussu triumphos actos esse docemur. Primum id factum est paullo post decemviros a. u. 306. a L. Valerio et M. Horatio consulibus.[14]) Etiam Mart. Rutilus, primus plebejus dic-

---

[12]) Liv. XXXIII. 23. „Q. Minucius cos. de Liguribus Bojisque Gallis in Albano monte triumphavit; is triumphus ut loco et fama rerum gestarum et quod sumptum non erogatum ex aerario, omnes sciebant, inhonoratior fuit. Polyb. II. 15. 7. *Τοὺς γὰρ προσαγορευομένους παῤ αὐτοῖς θριάμβους — — οὐ δύνανται χειρίζειν ὡς πρέπει, ποτὲ τὸ παράπαν οὐδὲ συντελεῖν, ἐὰν μὴ τὸ συνέδριον συγκατάθηται και δῷ τὴν εἰς ταῦτα δαπάνην.* Cfr. Dio Cass. fragm. 80.

[13]) Dio Cass. XLII. 49. XLVIII. 42.

[14]) Liv. III. 63. „Quum ingenti consensu Patrum negaretur triumphus, L. Icilius tr. pl. tulit ad populum de triumpho consulum, multis dissuasum prodeuntibus, maxime C. Claudio vociferante, — — — nunquam ante de triumpho per populum actum, semper aestimationem ejus honoris penes senatum fuisse, ne reges quidem majestatem summi ordinis imminuisse. — — — Omnes tribus eam rogationem acceperunt. Tum primum sine auctoritate senatus, populi jussu triumphatum est.“ De eadem re Dionysius quamquam dicit lib. XI. 50. *Πρῶτοι Ῥωμαίων ἁπάντων τοῦτο εἰσηγησάμενοι τὸ ἔθος* (Val. et Hor.) tamen sibi ipse repugnat jam lib. VI. 30. narrans, Servilium cos. a. 259. jussu populi de Volscis triumphasse, cujus triumphi Livius (II. 25.) mentionem non facit, sed: „consul,“ inquit, „cum maxima gloria victorem exercitum Romam reduxit.“

tator (a. u. 400.), cui ab senatu triumphum denegatum esse nemo mirabitur, sine auctoritate senatus populi jussu triumphum egit.[15]) Eodem modo inter Samnitica bella (a. 458.) Posthumius cons. auxilio tribunorum pl. trium adversus intercessionem tribunorum septem et consensum senatus populo diem celebrante triumphavit.[16]) Quod autem legitur apud Livium IV. 20.: Mamercum Aemilium, dictatorem senatusconsulto jussuque populi triumphantem in urbem rediisse, nisi Livii verbis diffidendum sit, fortasse ex eo explicari poterit, quod is triumphus quinque vel sex tantum annis post Horatium et Valerium coss. actus itaque populus illo jure paullo antea sibi vindicato rursus usus est, etiamsi res gestae dictatoris tantae erant, ut populi judicium cum senatus auctoritate tum consentiret. Non enim referri possunt Livii verba „populi jussu" ad legem curiatam de imperio, de qua statim dicam.

Atque adeo exemplum habemus imperatoris senatus plebisque interdicto[17]) spreto triumphantis, Claudii Appii Pulchri, quem filia (vel soror), virgo Vestalis, ascenso simul curru, ne vetare aut intercedere cuiquam tribunorum fas esset, usque in Capitolium prosecuta est. Contra Cn. Fulv. Flaccus eumdem honorem ab senatu sibi decretum repudiare ausus est eamque ob causam, ubi urbem intravit, quaestione publica afflictus, exilio est multatus.[18]) Aliter M. Fabii res sese habuit, qui quum eodem, quo vicerat, proelio collegam atque fratrem amisisset, lauream non accepit; „omni acto triumpho", Livius[19]) ait, „depositus triumphus clarior fuit."

Senatus igitur triumphum permittit et quidem semper extra urbem convocatus, quia — id quod notissimum est — imperatoribus triumphaturis ante triumphi diem urbem intrare non licebat. Cujus rei omnes fere, qui eam tetigerunt, hanc fuisse causam

---

[15]) Liv. VII. 17.

[16]) X, 37.

[17]) Quod injussu populi non sine magna militum jactura cum Salassis bellum gesserat. Cfr. Suet. Tib. 2. Valer. Max. V. 4. 6. Cic. pro Coel. 14.

[18]) Valer. Max. II. 3.

[19]) II. 47. Dionys. IX. 13.

dicunt, quod imperatores, simulatque ante triumphum urbis pomoerium ingressi essent, imperium militum pompam sequentium amisissent.[20]) Equidem hanc sententiam iis annumero, quae sempiterna repetitione ita inveterarunt, ut haud facile quis eas attingere nedum labefactare conetur. Non possum quidem negare, florentissimo reipublicae tempore, quo semper fere acto magistratu et prorogato imperio consules praetoresve provincias conficiebant, istam causam magni momenti fuisse; attamen primum non potest unica fuisse, quum imperatores sine militibus triumphum egerint, quibus nihilosecius extra urbem senatus datur. In his L. Furius, praetor (Liv. XXXI, 19.) quum senatum in aede Bellonae habuisset, triumphavit de Gallis, „neque captivi ante currum ducti, neque spolia praelata, neque milites secuti.“ Item apud Liv. XXXIX. 29. L. Manlius proc. in aede Bellonae triumphum postulat, quamquam milites non secum deportaverat.[21]) Deinde etiam dictatores ante portas remansisse scimus, quos urbem antea ingressos militare imperium amisisse, non possum mihi persuadere. Etenim idem, quod consulibus et praetoribus in milites tantum, ipsis in cives erat summum imperium,[22]) id quod significatur fascibus cum securibus iis praelatis. Imperio intra urbem minuto universa dictaturae notio evanuisset. Quid porro de consulibus et praetoribus dicamus? Deponebant certe urbem ingressi imperatoris jura; in urbe enim civile tantum imperium iis erat; neque vero plane desinebat imperium, quod magistratum ineuntes lege curiata acceperant, sed plena solum ejus potestas quiescebat. Itaque imperator rursus urbe egressus ad exercitum novam legem curiatam non opus habuisse videtur, sed imperio fuisse non minuto. Eandem fere sententiam quum etiam Becker proposuerit (Handb. II. 2. p. 65.): „Der Consul oder Praetor, der im Laufe seines Amtsjahres aus dem Felde

[20]) Ita etiam Becker (Handb. II. p. 65.): „Das ist eben der Grund, weshalb selbst Consuln und Dictatoren bis zum Tage des Triumphs vor der Stadt, ante urbem d. h. ausserhalb des Pomoerium bleiben, weil sie sonst das Commando über das Heer verlieren würden, das mit ihnen den Einzug halten sollte.“

[21]) Cfr. Vellej. II. 40. Marcelli exemplum apud. Liv. XXVI. 21.

[22]) Liv. VI, 15. VIII. 32.

zurückkehrt, bleibt trotz seines Eintritts in die Stadt im Besitze des für die Dauer seiner Magistratur ihm verliehenen Imperium: nur die volle Ausübung cessirt, weil sie überhaupt nur nach aussen hin denkbar ist; aber er kann von neuem mit militär. Vollgewalt ausziehen, ohne einer abermaligen lex curiata zu bedürfen", non intelligo, cur eadem libri pagina istam vulgarem imperatoribus triumphaturis exceptionem statuerit. An discrimen fecit nimis subtile inter imperatorem in provinciam suam proficiscentem et ad exercitum in Campum Martium redeuntem? — Unus sane locus est, qui aliquam dubitationem de ea re afferre videatur. Etenim apud Liv. XXIV. 9. legimus, Q. Fabium Maximum ex itinere statim praeter urbem in Campum Martium ad comitia habenda descendisse, „qui", Livius ait, „quia in urbem non inierat, admonuit cum securibus fasces sibi praeferri." Sed ex ipsis Livii verbis jam apparet, potuisse eum urbem ingredi, celeriter autem e bello etiamtum manente profectum die statuta in Campum venisse, non vero idcirco, ne imperium amitteret, pomoerium evitasse. Si antea in urbe fuisset, magistratus cum populo, civis cum civibus rem egisset rursusque egressus summum imperium recuperasset; quia in urbem non inierat, fortasse ostentationis causa fasces cum securibus sibi praeferri jussit.

Itaque non solum ii, qui exercitum secum non habebant, sed etiam dictatores et consules praetoresque ante triumphi diem pomoerium transgredi potuissent, nisi gravior eos causa prohibuisset. Longe alia proconsules et propraetores et homines privati, qui triumphum exspectabant, conditione utebantur. Nam ne ullum quidem iis erat in urbe imperium et privatis iis urbs introeunda nisi in triumphi diem imperium acceperant.[23]) Senatus igitur triumphum quidem iis decernebat, sed populus ut

[23]) Liv. XLV, 39. „L. Paullus, privatus, tanquam rure rediens a porta domum ibit"? Digest. I. 16. 1. „Proconsul portam Romae ingressus, deponit imperium". Cic. ad famil. I. 9. fin. Cfr. quae Fütterer: Progr. gymnas. Hagiopolit. 1851. pag. 9. allucinatus est: „Etenim florente re publica libera imperator tantummodo esse cum imperio desiit, simulatque agrum Romanum intravit."

ea die in urbe cum imperio essent, plebiscito permittebat. Etiam de hac re Beckero nolim assentiri, qui eodem libro p. 66. haec dicit: „Aus demselben Grunde (quia nullum Proconsuli et Propraetori in urbe est imperium) musste den Proconsuln durch ein besonderes Plebiscitum für den Tag des Triumphes das Imperium in der Stadt bewilligt werden. — (Not. 118.) Dass es nur in einzelnen Fällen berichtet wird, kommt daher, dass in diesen das Recht streitig gemacht wurde. Uebrigens versteht es sich, dass durch das Plebiscit nicht das Imperium ertheilt werden konnte: es gestattete nur dessen Fortdauer in der Stadt". Primum duobus Livii locis, quos Becker in animo habuit,[24]) non video ullam de jure controversiam. Marcellus enim omnium consensu triumpho dignissimus erat, sed justum triumphum agere non poterat, quippe qui non debellavisse videretur. Itaque Patres ovationem ei decrevere neque potuerunt dubitare, quin populus libenter illum imperatorem, cujus absentis gratia in triduum supplicatio instituta fuerat, in aurato curru stantem vidisset. Quod autem ad alterum locum spectat, in concione quidem de Aemilii Paulli triumpho habita magnum certamen oritur; attamen neque Patres, id quod ipsi professi sunt (c. 36.) sciebant, ipsius Paulli milites in concione ei obtrectaturos esse, neque de Octavio et Anicio ulla controversia fuit. Deinde imperium proconsulum plebiscito illo in urbe prorogatum esse negaverim. Etenim quum triumphi die non solum prorogato sed etiam novo, quodammodo aucto cum imperio in urbe versarentur, certe nova lege curiata iis opus fuit. Totam rem mihi sic explico. Primis reipublicae temporibus lex curiata de imperio arctissime cum auctoritate Patrum cohaerebat. Sed postquam lege Maenia, quam Philonis rogatio praegressa erat, jam futuris populi scitis Pratres auctores fieri debuerunt, lex curiata, quoniam

---

[24]) Liv. XXVI. 21. (de Marcello, proc. agitur.) „Medium visum, ut ovans urbem iniret. Tribuni pl. ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut Marcello, quo die urbem ovans iniret, imperium esset." Deinde Liv. XLIV, 35. „Tribus iis omnibus (Aemilio Paullo proc., Anicio et Octavio propraet.) decretus est ab senatu triumphus mandatumque Q. Cassio praetori, cum tribunis pl. ex auctoritate patrum ageret ut iis quo die urbem triumphantes inveherentur, imperium esset."

imperium certo tantum homini dari poterat, separata subsequebatur, nunquam vero a Patribus recusari poterat. Itaque legis curiatae datio ritus inanis facta erat. Jam belli Punici secundi tempore triginta lictores curiarum vicibus fungebantur.[25]) Quodsi igitur — arrogatione aliisque cum religione conjunctis actionibus exceptis — comitia curiata non ad suum arbitrium agebant, sed necessario plebis sententiae obtemperabant, non possumus mirari, quod mox lex curiata de imperio non cum senatusconculto conjuncta erat, sed jussu populi a curiis ferebatur. Jam vero lex Maenia anno fere 467 u. c. lata est; primus autem, qui proconsul prorogato imperio provinciam sortitus est, P. Philo, a. 427 triumphavit.[26]) Ante haec igitur tempora nulla plebisciti de imperio mentio fieri poterat; Marcelli autem triumphus anno demum 542. actus est. Huc accedit, quod etiam extremo reipublicae tempore proconsulibus et propraetoribus in provinciam abeuntibus lex curiata de imperio populi jussu videtur esse lata. Nam si apud Caesarem (de bell. civil. I. 6.) legimus: „Provinciae privatis decernuntur, duae consulares, reliquae praetoriae. Scipioni obvenit Syria, L. Domitio Gallia. In reliquas provincias praetores mittuntur nec exspectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum feratur, paludatique votis nuncupatis exeant,“ nequaquam ea verba cum Beckero[27]) sic intelligere possum, quasi populus tunc de provinciis illis hominibus tribuendis decernere debuisset. Nam Caesar aperte dicit, provincias iis jam decretas fuisse, legem autem de imperio nondum latam.[28]) Quam a populo ferri non potuisse, rectissime quidem Becker contendit, at populi jussu in comitiis curiatis latam esse, satis verisimile est.

Sed ut ad dictatores, consules, praetores revertamur, quaeritur, quam ob causam, quum imperio non minuto ante triumphum urbem introire possent, nunquam hoc jure usi sint,[29]) etsi

---

[25]) Becker II. 3. 189.
[26]) Liv. VIII. 26.
[27]) II. 2. 64. Not. 113.
[28]) Cfr. Appii exemplum: Cic. ad fam. I, 9. Becker l. cit.
[29]) Nam ad Lucretium cos. qui (Liv. III. 10.) in senatu et concione

nonnulli non dies tantum sed jam annos exspectationi tribuentes extra urbem permanserunt? Videtur autem moris causa in ipsa pia triumphi notione posita fuisse. Imperator enim summo illo honore deorum causa dignabatur neque in urbem poprie revertebatur sed tanquam in agrum effatum omnium deorum. Finis viae triumphalis Capitolium erat, regis deorum sedes, ex quo vota nuncupans auspicato in bellum exierat, quo laurum in Jovis gremio positurus et albos tauros mactaturus redibat. Itaque si jam ante triumphi diem pomoerium transgressus esset, tota vis illorum sollemnium ad irritum cecidisset; dies tantum ipsius reditus et introitus ita celebrari poterat. Optime id testantur Servilii verba pro Aemilio Paullo in militum concione sic loquentis (Liv. XLV. 39.): „Diis quoque enim non solum hominibus debetur honor triumphi. Majores vestri omnium magnarum rerum et principia exorsi ab Diis sunt, et finem eum statuerunt. Consul proficiscens praetorve, paludatis lictoribus in provinciam et ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: victor, perpetrato eodem, in Capitolio triumphans ad eosdem deos, quibus vota nuncupavit, merita dona populi Romani transvehit. Pars non minima triumphi est victimae praecedentes; ut appareat, diis grates agentem imperatorem ob rempublicam bene gestam redire."

Consules igitur vel praetores atque dictatores, quibus jus erat senatum convocandi, si ipsi triumphare volebant, senatum in Campum Martium evocabant eumque ipsi habebant.[30]) In aede Bellonae vel Apollinis semper fere senatusconsultum de triumpho factum esse, notissimum est.[31]) Ab Augusti demum tempore in

Terentillo tr. pl. oppugnat, non potest dubitari, quin res extra urbem acta sit. Alterum exemplum dubium legitur libr. X. 37: Quum Posthumio cons. negatus esset ab senatu triumphus „jactata res ad populum est, vocatusque eo consul." Fortasse haec plebis concilia in pratis Flaminiis sunt habita, quod certum paene fit Lucretio saltem consuli, quum Livius ex eodem fere tempore haec commemoret (lib. III. 54.): „Ea omnia in pratis Flaminiis concilio plebis acta, quem nunc Circum Flaminium appellant."

[30]) Liv. III. 63. „Consules ex composito eodem biduo ad urbem accessere senatumque in campum Martium evocavere." XXVIII. 29. „Forte ita evenit, ut eodem die ambo Praeneste venirent, inde praemisso edicto, ut triduo post frequens senatus ad aedem Bellonae adesset" cet. XXXIII. 22. XXXVI. 39.

[31]) Becker, I. p. 605. 607.

templo Martis Ultoris, quod in foro suo exstruxerat Augustus, senatus a Caesaribus, qui sibimet solis triumphum retinebant, de ornamentis triumphalibus consulebatur.[32]) — Raro imperatoribus evenit, ut triumphus, antequam adessent, iis decerneretur.[33])

Ceteris imperatoribus, qui senatum vocare non poterant, dabatur senatus a magistratibus majoribus.[34]) Coram Patribus autem res ab se gestas, numerum hostium caesorum, navium vel oppidorum captorum exponebant, quibus ab senatu auditis postulabant: ut ob rempublicam bene ac feliciter gestam Diis immortalibus honos haberetur, sibique triumphantibus urbem invehi liceret.[35]) Simili modo mos erat, aut post aut ante triumphum in concione de rebus gestis disserere.[36]) Ad confirmandam autem relationem suam toto exercitu, imprimis legatis et tribunis suis utebantur. Sicuti enim jam vidimus, omnes fere Paulli milites triumpho ejus obtrectasse, Cn. Manlio quoque proc., de Gallograecis triumphum petenti major legatorum pars in senatu contradixit, „quos," ait ipse, „si tribuni me triumphare prohiberent, testes citaturus fui rerum a me gestarum".[37]) Etiam Vespasiani et Titi exercitus ipsis ἐπευφήμει, πολλὰς αὐτοῖς τῆς ἀρετῆς μαρτυρίας ἀποδιδόντες.[38])

---

[32]) Suet. Octav. 19.

[33]) Liv. III. 29. „Romae a Q. Fabio, praefecto urbis, senatus habitus, Quinctium (dictat.), quo veniebat agmine, urbem ingredi jussit."

[34]) Liv. XXXVIII. 44. „Cn. Manlius proc. Romam venit, cui quum a Serv. Sulpicio praet. senatus ad aedem Bellonae datus esset" cet. XXXVII. 58. „L. Aemilio Regillo propr. — extra urbem in aede Apollinis quum senatus datus esset" cet.

[35]) Cfr. de re notissima Liv. XXXIX. 4. XXXVIII. 44.

[36]) Liv. XLV. 40. „Paucis post (triumphum) diebus data a M. Antonio tr. pl. concione, quum de suis rebus gestis more ceterorum imperatorum disseruisset" (Aem. Paullus.). Contra Vellejus, I. 10: „is", inquit, „quum in concione extra urbem more majorum ante triumphi diem ordinem actorum suorum commemoraret". Liv. XXXVI. 40. (post.) Imperatores non triumphantes decimo die hostium numerum et militum renuntiare senatui debebant: Cic. ad. Qu. fr. III. 2.

[37]) Liv. XXXVIII, 44. Cfr. XXXI, 49. „Majores ideo instituisse ut legati, tribuni militum, milites denique triumpho adessent, ut veritatem rerum gestarum ejus, cui tantus honor haberetur, populus Romanus videret."

[38]) Joseph. bell. Jud. VII. 5. 4.

Verum multae Patribus causae adesse poterant ad negandum triumphum. Etenim primum id factum est, si quis injustum bellum, injussu senatus vel temere gesserat. Quae omnia Cn. Manlio ab legatis objiciuntur ap. Liv. XXXVIII. 45—50. Atilio etiam consuli honor negatur (X. 36.) „et ob amissa tot millia militum et quod captivos pactione sub jugum misisset,“ et Posthumio (X. 37.) a. u. 460. „quod injussu senatus e Samnio in Etruriam transisset.“

Praetera triumpho non dignae erant res sine labore et eventu gestae. Quam ob causam Minucio (XXXIII. 22.) a. u. 582. negatur tribunis dicentibus, eum in Liguribus levia proelia vix dictu digna fecisse, oppidorum paucorum et vicorum falsas et in tempus simulatas, sine ullo pignore deditiones factas esse. Atqui duodeviginti annis post Cornelius et Baebius coss. (XL. 38.) „omnium primi nullo bello gesto“ triumphant. Postea hic triumphi abusus increbruisse videtur[39]) ita ut opus esset lege Portia triumphali, qua cautum est,[40]) „ne quis triumpharet, nisi qui quinque millia hostium una acie occidisset. Ceterum ne tam praeclara lex cupiditate laureae obliteraretur, legis alterius adjutorio fulta est, quam L. Marius et M. Cato (a. 692.) tr. pl. tulerunt. Poenam enim imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in proelio aut amissorum civium numerum falsum literis senatui aussi essent referre.“ Itaque numerorum veritatem apud quaestores urbanos affirmare imperatores debebant.

Deinde triumpho obstabat, si quis provinciam suam non confecerat.[41]) Quum autem provincia pacata exercitus, successori jam non necessarius, ut meriti honoris particeps esset, ab imperatore

---

[39]) Juvenal. VIII, 105. Inde Dolabella est atque hinc Antonius inde
Sacrilegus Verres; referebant navibus altis
Occulta spolia et plures de pace triumphos.

[40]) Valer. Max. II. 8. 1. Sed Appianus (II. 45.) numerum decem millium et Diodorus Sic. (36. vol X. p. 171. ed. Argent.) plus sex millium fuisse tradunt.

[41]) Liv. XXXVIII. 39. „Sempronius Blaesus tr. censebat, non negandum Scipioni sed differendum honorem; — — juberent consulem cum legionibus redire in provinciam, dare operam ut Ligures subigantur. Liv. VIII. 12.

soleret Romam deportari, fieri non potuit, quin res gestae eorum in suspicionem vocarentur, qui exercitum secum non deportaverant. Itaque legimus apud Livium (XXXVI. 39.) hanc exceptionem: „ne quis triumpharet, qui exercitum non deportasset, nisi perdomitam pacatamque provinciam tradidisset successori.“ Eadem re Marcelli quoque triumphus, de quo jam dixi, minutus est; patres enim nimis anxii dubitabant „utrum minus conveniret, cujus nomine absentis — — supplicatio decreta foret — — ei praesenti negare triumphum, an, quem tradere exercitum successori jussissent, eum quasi debellato triumphare, quum exercitus abesset.“[42])

Tum triumphum omnibus, qui alieno auspicio et aliena provincia bellum gesserant, negatum esse, per se intelligitur.[43]) Caesar sane duobus legatis, ut triumphum ex Hispania agerent permisit, itemque Domitius Calvinus, qui rem gesserat sub Octaviani auspiciis, triumphavit, et Ventidius Bassus, qui sub Antonii imperio vicerat.[44])

Praeterea libera quidem republica nunquam triumphum agere potuit, qui sine majore magistratu, pro consule vel praetore bellum gesserat. Omnes enim proconsules et propraetores, quorum triumphi commemorantur, consules et praetores antea fuerant et imperio prorogato provincias retinuerunt.[45]) Nam finibus imperii Romani tam ample prolatis raro unus annus conficiendae provinciae suffecit, ita ut triumphus in magistratu ipso aliquanto major honos fuisse videatur.[46]) Eorum vero, qui non prorogato imperio, sed peculiari accepto bellum gesserunt, nullus[47]) triumphavit praeter Pompejum, qui quattuor et viginti annos natus, etiamtum eques tantum Romanus ex Africa triumphum egit.[48]) Sed de hac

---

[42]) Liv. XXVI. 21. Dio Cass. XXXVII. 21.

[43]) Valer. M. II. 8. 2. Liv. XXVIII. 9. XXXI. 48. XXXIV. 10.

[44]) Dio Cass. XLIII. 42. XLVIII. 42. XLIX. 21.

[45]) Primi, qui acto honore, prorogato imperio triumphum egit, P. Philonis, jam mentio facta est. pag. 15.

[46]) Livius triumphi mentioni semper id adjicit: VIII. 26, X. 46. XXXI. 49. XXXIII. 23.

[47]) Ne tribuni quidem cum consulari potestate. Zonar. VII. 19.

[48]) Liv. epit. l. 89: „quod nulli contigerat.“

negandi triumphi causa non habeo quod iis addam, quae Becker (Handbuch II. 2. p. 81.) rectissime scripsit.

Ultimum restat triumphi impedimentum, quod idem extremo reipublicae tempore portae triumphali objectum est, ne victoria civili bello parta spem triumphi praebere posset: „ut pro aucto imperio, non pro recuperatis, quae populi Romani fuissent, triumphus duceretur."[49]) Attamen res est notissima, quintum Julii Caesaris triumphum de Pompejanis in Hispania victis actum esse, nec non Octavianum post bellum Philippense ovantem urbem ingressum.[50]) Etiam Tacitus (hist. lib. IV. 4.) indignabundus ait: „Multo cum honore verborum Muciano triumphalia de bello civili data."

Primus externorum Romae triumphum adeptus est Cornelius Balbus, Gadibus oriundus, a. u. 745.[51])

Quodsi igitur nulla negandi triumphi causa aderat, senatus, ubi tribunos, qui forte intercesserant, auctoritate sua, ut intercessione desisterent, movit, imperatori triumphum decernit.[52]) Ac libera quidem republica celeriter paucis diebus res dijudicabatur. Sed quum malis et fallacibus partium artibus respublica distraheretur, difficillime nonnunquam imperatores triumphum consecuti sunt. Lucullus tres fere annos extra urbem mansit triumphum exspectans. Etiam Metellus Creticus, qui a. 699. ad urbem venerat, a Pompejo triumphare prohibitus, cum imperio in Apulia mansit et anno tandem tertio post triumphum habuit.[53]) Pomtinius denique propraetor qui a. 691. Galliam administraverat, anno demum 700. triumphavit.[54])

---

[49]) Valer. M. II. 8. 4.

[50]) Sueton. Octav. 22.

[51]) Plin. hist. nat. V. 5. Vellej. II. 51.

[52]) Diem triumphi non ab senatu, quod nonnulli tradunt, sed ab ipso imperatore statutam esse, docemur, si alios omittimus, uno Livii loco: lib. XXXIX. 6. „Triumphare mense Januario statuerat (M. Fulvius.), sed quum audisset consulem M. Aemilium — — ipsum ad impediendum triumphum Romam venientem aegrum in via substitisse — praetulit triumphi diem."

[53]) Drumann. II. pag. 54. simulque cum eo Q. Marcius Rex: Sall. Catil. 30.

[54]) Dio Cass. XXXIX. 65.

Sin triumphus negatus erat et ne ovatio quidem petitori ab senatu decreta, saepenumero factum est, ut triumpharent, qui repulsam tulerant, in monte Albano. De Papirio Masone, qui primus antiquum illum morem instauravit, jam dixi. Haud parvum autem eorum numerum fuisse, colligi licet e Livii verbis, quae leguntur libr. XXXIII. 23. „In monte Albano se triumphaturum (Q. Minucium) et jure imperii consularis et multorum clarorum virorum exemplo“ et XLIV. 35. „Multi etiam, qui ab senatu non impetrarunt, in monte Albano triumpharunt.“ Quin Marcellus, Syracusarum victor, pridie quam ovans urbem iniret, in illo monte triumphum egit.[55])

[55]) Liv. XXVI. 21. Plut. Marcell. 22.

III. De pompae triumphalis apparatu.

Quum omnes scriptores, qui de triumpho mentionem fecerunt, quae ad ordinem et apparatum triumphi pertinent, ut res aequalibus suis notissimas, negligentes, ea tantum commemorent, quae insolita et eximia iis viderentur, Appiano, quod Scipionis triumphum Punicum accuratius et uberius descripsit, gratiam habere debemus. Rem igitur meam ita instituam, ut Appiani narrationi tanquam fundamento praepositae, quae praeterea dicenda sunt, adjungam. Legitur autem libr. VIII. 66. „*Καὶ ὁ τρόπος, ᾧ καὶ νῦν χρώμενοι διατελοῦσιν, ἔστι τοιόςδε. Ἐστεφάνωντο μὲν ἅπαντες, ἡγοῦνταί τε σαλπιγκταί τε καὶ λαφύρων ἅμαξαι πύργοι τε παραφέρονται, μιμήματα τῶν εἰλημμένων πόλεων, καὶ γραφαὶ καὶ σχήματα τῶν γεγονότων. Εἶτα χρυσὸς καὶ ἄργυρος ἀσήμαντός τε καὶ σεσημασμένος καὶ εἴ τι τοιουτότροπον ἄλλο· καὶ στέφανοι ὅσοις τὸν στρατηγὸν ἀρετῆς ἕνεκα ἀναδοῦσιν ἢ πόλεις, ἢ σύμμαχοι, ἢ τὰ ὑπ᾽ αὐτοῦ στρατόπεδα. Βόες δ᾽ἐπὶ τούτοις λευκοὶ καὶ ἐλέφαντες ἦσαν ἐπὶ τοῖς βουσί. καὶ Καρχηδονίων αὐτῶν ὅσοι τῶν ἡγεμόνων ἐλήφθησαν. Αὐτοῦ δ᾽ἡγοῦνται τοῦ σρατηγοῦ ῥαβδοῦχοι φοινικοῦς χιτῶνας ἐνδεδυκότες, καὶ χορὸς κιθαριστῶν τε καὶ τιτυριστῶν, ἐς μίμημα Τυῤῥηνικῆς πομπῆς, περιεζωσμένοι τε καὶ στεφάνην χρυσῆν ἐπικείμενοι· ἴσα τε βαίνουσιν ἐν τάξει μετὰ ᾠδῆς καὶ μετ᾽ ὀρχήσεως. Λυδοὺς αὐτοὺς καλοῦσιν, ὅτι (οἶμαι) Τυῤῥηνοὶ Λυδῶν ἄποικοι. Τούτων δέ τις ἐν μέσῳ, πορφύραν ποδήρη περικείμενος, καὶ ψέλλια καὶ στρεπτὰ ἀπὸ χρυσοῦ, σχηματίζεται ποικίλως ἐς γέλωτα, ὡς ἐπορχούμενος τοῖς πολεμίοις. Ἐπὶ δ᾽αὐτῷ θυμιατηρίων πλῆθος, καὶ ὁ στρατηγὸς ἐπὶ τοῖς θυμιάμασιν, ἐφ᾽ ἅρματος καταγεγραμμένου ποικίλως, ἔστεπται μὲν ἀπὸ χρυσοῦ καὶ λίθων πολυτίμων, ἔσταλται δ᾽ἐς τὸν πάτρων τρόπον πορφύραν, ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένων, καὶ σκῆπτρον ἐξ ἐλέφαντος φέρει καὶ δάφνην, ἣν ἀεὶ Ῥωμαῖοι νομίζουσι νίκης*

σύμβολον. Ἐπιβαίνουσι δ' αὐτῷ ἐπὶ τὸ ἅρμα παῖδές τε καὶ παρθένοι καὶ ἐπὶ τῶν παρηόρων ἑκατέρωθεν ἠΐθεοι, συγγενεῖς. Καὶ προσέπονται ὅσοι παρὰ τὸν πόλεμον ἦσαν αὐτῷ γραμματεῖς τε καὶ ὑπηρέται καὶ ὑπασπισταί. Καὶ μετ' ἐκείνους ἡ στρατιὰ κατά τε ἴλας καὶ τάξεις, ἐστεφανωμένη πᾶσα καὶ δαφνηφοροῦσα. οἱ δὲ ἀριστεῖς καὶ τὰ ἀριστεῖα ἐπίκεινται. Καὶ τῶν ἀρχόντων οὓς μὲν ἐπαινοῦσιν, οὓς δὲ σκώπτουσιν, οὓς δὲ ψέγουσιν ἀφελὴς γὰρ ὁ θρίαμβος, καὶ ἐν ἐξουσίᾳ, λέγειν ὅ τι θέλοιεν. Ἀφικόμενος δὲ ἐς τὸ Καπιτώλιον ὁ Σκιπίων, τὴν μὲν πομπὴν κατέπαυσεν, εἱστία δὲ τοὺς φίλους, ὥσπερ ἔθος ἐστὶν, ἐς τὸ ἱερόν."

Primum locum obtinebant, quos Appianus omisit, consules et ceteri magistratus cum iis senatoribus, qui bello non interfuerant; Dio Cass. LI. 22. Post eos cornicines et tubicines ibant, quibus statim discrimen indicabatur inter hunc introitum armorum strepitu metum quemdam admiratione mixtum civibus injicientem et ovationem, placidiorem pacis nunciam.[1]) Deinde, quas Appianus omittit, tabulae praeferebantur, quibus nomina gentium subactarum, urbium ac terrarum captarum cum numero caesorum et captorum hostium inscripta erant. Plinius major (VII. 27.) „triumphi praefationem" eas nominat. Praeda quae sequebatur, res diversissimas continebat, ita ut praesertim Asiae gazis reclusis, per complures dies Romanorum oculi satiarentur, antequam imperator ipse urbem ingrederetur. Spolia, vasa pretiosa, signa, auri argentique acervi, ita ordinata et disposita erant, ut quam splendidissimum praeberent aspectum.[2]) Nec aberant ea, quae e terris captis gignebantur; primae arbores in Pompeji triumpho conspectae sunt: balsamum et ebenus;[3]) ferarum autem a Caesaribus sexcentarum nonnunquam greges ducti.[4]) Praedae immixta ferebantur oppidorum simulacra eburnea vel argentea[5]) cum turribus moenibusque et picturae factorum maxime insignium interdum a clarissimis artificibus effictae.[6])

[1]) Plut. Marcell. 22. Aemil. Paull. 33.
[2]) Plut. Aem. P. 32.
[3]) Plin. hist. XII. 9. eod. lib. 54.
[4]) Fl. Vopisc. Aurelian. 34.
[5]) Ovid. ep. ex Pont. II. 1. 37.
[6]) Appian. XII. 116. de bell. civ. II. 101. Aemilius Paullus Metrodorum pictorem Athenis ad excolendum triumphum suum arcessivit. Plin. XXXV. 40. 30.

Tum coronae ab Apiano ponminantur (a Plutarcho l. d. proxime currum), quae antiquitus laureae, postea aureae[7]) ab urbibus provinciarum in triumphi honorem missae, denique acerbum tributum factae sunt. Lege quidem Julia a. u. 695. proconsulibus vetitum erat, aurum coronarium exigere, nisi triumphus iis decretus esset, nihilo tamen minus jam e Pisonis[8]) exemplo videmus, nomine mutato legi fraudem factam esse. Praeterea inde colligi potest, sumptum triumphi ex aerario datum aut non suffecisse aut illo jam tempore dari esse desitum.

Victimae porro ducebantur (a Paullo centum viginti) et albi[9]) quidem tauri, cornibus auratis, ornati vittis et coronis, quemadmodum etiam feriis Latinis albus semper Jovi taurus mactabatur. Quos captivi sequebantur catenis vincti, suo quisque habitu, reges omnibus regiae dignitatis insignibus ornati, nonnunquam aureis vinculis onerati.[10]) Neque aliud quidquam pompa per urbem acta his regibus accidere solebat, quam victimis praecedentibus. Quum a foro in Capitolium sinistrorsus currus flecteretur in carcerem illi loco propinquum ducti semper fere securi percutiebantur.[11]) Proximi ibant lictores purpureis tunicis induti, pone quos omnia tibiarum et cithararum concentu personabant. Ludiones ipsos, quos Appianus *περιεζωσμένους*, aureis coronis ornatos, saltasse ait, non solum simillimos,[12]) sed eosdem fuisse, qui in pompa Circensi saltatores armatos sequebantur, persuasum habeo. Etenim Dionysius (VII. 72.) sic hos descripsit: *Μετὰ τοὺς ἐνοπλίους χοροὺς οἱ τῶν Σατυριστῶν ἐπόμπευον χοροὶ τὴν Ἑλληνικὴν εἰδοφοροῦντες σικίννην. Σκευαὶ δ' αὐτοῖς ἦσαν, τοῖς μὲν εἰς Σιληνοὺς εἰκασθεῖσι μαλλωτοὶ χιτῶνες, οὓς*

---

[7]) Gell. noct. V. 6.

[8]) Cic. in Pis. 37.

[9]) Serv. ad Virgil. Georg. II. 146. „triumphantes de albis tauris sacrificabant.“ Ovid. Trist. IV. 215. Cfr. de loco taurorum in pompa Liv. XXXIV. 52.

[10]) Zenobiae exempl. apud Vopisc. Aurelian. 34. Mulier prima in vinculis ducta Arsinöe fuerat Aegyptia; Dio Cass. XLIII. 19.

[11]) Cic. in Verrem V. 30. „Idemque dies et victoribus imperii et victis vitae finem facit.“ Cfr. Liv. ep. XI. de Pontio Samnite. Epit. lib. 66. de Jugurtha Plut. Caes. 27. de Vercingetorige. Praeterea: Liv. XXVI. 13. Ovid. ep. ex Pont. II. 1. 45.

[12]) O. Müller, Etrusker. II. 197.

ἔνιοι χορταίους καλοῦσι, καί περιβόλαια ἐκ παντὸς ἄνθους τοῖς εἰς Σατύρους περιζώματα καὶ δοραὶ τράγων καὶ ὀρθότριχες ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς φόβαι. Οὗτοι κατέσκωπτόν τε καὶ κατεμιμοῦντο τὰς σπουδαίας κινήσεις ἐπὶ τὰ γελοιότερα μεταφέροντες. —— Εἶδον δὲ καὶ ἐν ἀνδρῶν ἐπισήμων ταφαῖς ἅμα ταῖς ἄλλαις πομπαῖς προηγουμένους τῆς κλίνης τοὺς σατυριστὰς χοροὺς κινουμένους τὴν σικίννην ὄρχησιν. Si primum nomen respicimus, quum τίτυρος Dorica dialecto vocabulo σάτυρος respondeat, nullum discrimen est inter Tityristas Appiani et Satyristas Dionysii. Vestimenta quidem ab Appiano minus accurate describuntur; attamen οἱ περιεζωσμένοι ejus certe gerebant περιζώματα Satyrorum. Coronarum autem usus, quem Appianus commemorat, facile postero tempore accessisse potest. Sed ea levioris sunt momenti. Dionysius ait, se ipsum in nobilium hominum funeribus eosdem Satyristas ante lecticam saltantes vidisse. Quibuscum si Suetonium comparamus, qui turbulentum Caesaris funus enarrans (Caes. 84.): „Tibicines“, inquit, et scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad praesentem usum induerant, detractam sibi atque discissam injecere flammae“, omnis dubitatio evanescat necesse est. Notum etiam est, unum ex mimis in funeribus personam mortui ferentem scurrili modo totum ejus habitum imitatum esse.[13]) Quid autem aliud sibi vult ille Appiani sannio, longa veste purpurea amictus, aureis armillis et torque ornatus, nisi eadem usus ratione imperatoris triumphantis personam ridicule gessit? Plutarchus quidem, hunc morem Romulo ascribens (Rom. 25.) in memoriam fieri censet imperatoris cujusdam Vejentium, qui in illo bello imprudenter se gesserit. At quanti ista Romulea origo aestimanda sit, scimus; hoc unum inde elucet, Etrusci ducis partes agi, Plutarcho quoque apparuisse. Bullam vero auream, regum Tuscorum ornamentum itemque Romanorum triumphantium pro puerilis imprudentiae signo habuit. Simillimus nostro ille fuit senex, qui Plutarcho et Festo testibus bulla aurea et veste

[13]) Suet. Vespas. 19. „Sed et in funere Favor, archimimus, personam ejus ferens imitansque, ut est mos, facta et dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus quanti funus et pompa constaret, ut audiit, sestertia centies, exclamavit: centum sibi sestertia darent ac se vel in Tiberim projicerent.“

purpurea ornatus ludis Capitolinis trans forum in Capitolium ducebatur, praecone Sardos venales praedicante, quam Vejentium auctionem dicebant.[14])

Praeterea Dionysius tibias quoque et fides describit, quibus in pompa Circensi ludiones canebant. Tibiae erant breves et parvae, barbita et lyrae septem chordis praedita et eburnea. —

Media autem inter ludios et currum ipsum triumphalem turibula ferebantur, quibus ut in pompa Circensi simulacris deorum in thensis vectis, sic in triumpho imperatori summus honos tribuebatur. Currus triumphalis ipse rotundus et altus,[15]) coloribus variis, auro, ebore, gemmis[16]) distinctus lauro redimitus[17]) quattuor equis coronatis[18]) trahebatur. Albos vero equos triumphales e Camilli saltem tempore fuisse, quum omnes fere scriptores, qui eam rem attigerunt, tradant,[19]) operae pretium erit, hunc errorem sustulisse. Nunquam enim a primis temporibus usque ad Caesarem nisi semel a Camillo id factum est. Ex ipsa rei narratione apud Liv. V. 23. et Plutarch. Camill. 7. apparet, Camillum solitum modum sine exemplo excessisse. Itaque Livius ait: „Parum id non civile modo sed etiam humanum visum; Jovis Solisque equis aequiparari dictatorem, in religionem etiam trahebant: triumphusque ob eam maxime rem clarior quam gratior fuit.“ Plutarchus autem, qui eadem ex causa intolerabilem Camilli insolentiam vituperat, quum, neque ante neque post eum albis equis ullum imperatorem usum esse, contendat, certe aut nunquam ipse triumphum vidit, aut sui temporis oblitus, antiqui auctoris verba transcripsit. Caesari enim albas quadrigas ab senatu decretas esse, Dio Cassius claris verbis narrat lib. XLIII. 14.

---

14) Fest. s. v. Sardi. p. 131. Plut. Quaest. Rom. 53.

15) Juvenal. X. 36: „Quidsi vidisset Praetorem curribus altis
Exstantem et medio sublimem in pulvere Circi?“
Nummi etiam eam currus formam ostendunt. Zonar. VII. 21. *Τὸ δὲ ἅρμα ἐς πύργου περιφεροῦς τρόπον ἐξείργαστο.*

16) Ovid. Trist. IV. 2. 63. Appian. XII. 116. Horat. epist. IX. 21.

17) Suet. Oct. 94.

18) Ovid. ep. ex. P. II. 1. 58.

19) Nuper: „Pauly, Reallexic.“ et „Kraft und Müller, Schul-Reallex.“ sub voce: Triumphus. Rabus, „de ornamentis triumphal.“ Progr. gymnas. Augustan. Vindelic. 1850. pag. 8.

Καὶ τὰ ἐπινίκια τὰ προεψηφισμένα, ἐπί τε λευκῶν ἵππων καὶ μετὰ ῥαβδούχων τῶν τότε αὐτῷ συνόντων καὶ ἑτέρων, ὅσοις ἐν τῇ πρώτῃ δικτατωρίᾳ ἐκέχρητο, πέμψαι οἱ ἔδοσαν. Decretis vero his honoribus Caesarem revera usum esse, id quod Drumannus negat,[20]) ex ipsis verbis apparet: *Ταῦτα* (omnia, quae antea commemoraverat) *μόνα κατέλεξα οὐχ ὅτι καὶ μόνα ἐψηφίσαντο (παμπληθῆ τε γὰρ εἰσεφέρετο καὶ δῆλον, ὅτι καὶ ἐκυροῦτο), ἀλλ' ὅτι τὰ μὲν ἄλλα παρήκατο, ταῦτα δὲ παρεδέξατο.* Sic etiam currum et statuam in terrae imagine stantem accepit.[21])

Sed a Caesaris tempore, qui equis utebantur Caesares semper Camilli exemplum imitati sunt.[22]) Antonius autem triumvir primus leones currui adjunxit et ipse cum Cytheride mima urbem invectus est, „id quod", Plinius[23]) inquit, „supra monstra etiam illorum temporum fuit." Pompejum deinde Magnum sunt qui dicant, primum quattuor elephantis tractum esse; sed Procilius,[24]) quem Plutarchus fortasse auctorem secutus est, portam nimis augustam elephantis transitum dedisse negat. Aurelianus denique quattuor albis cervis, quos bello Gothico captos deinde Jovi immolavit, urbem invectus est.[26])

In nummis imperatores saepe ipsi equos agunt, quod quum altera manu laurum altera sceptrum haberent, non est verisimile. Immo, ut thensarum quoque equi a pueris ducebantur, veram rei imaginem praebere videntur ii, in quibus equi a militibus ducuntur.[27]) Attamen Valerius Maximus (IV. 4. 5.): „Quae manus", inquit, „modo arantium boum jugum vexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt."

Imperator ipse in curru stat,[28]) triumphalibus ornamentis ornatus, de quibus singulis nunc agam. Primum vestem trium-

[20]) Vol. III. p. 609. not. 85.
[21]) Dio Cass. XLIII. 21.
[22]) Tibull. VII. 2. Sueton. Nero 25. Ovid, ars am. 214. Plin. panegyr. 22.
[23]) Plin. VIII. 21. Cfr. Cic. Philipp. II. 24. 25. 28. 31.
[24]) Plin. VIII. 2.
[25]) Plut. Pompej. 14.
[26]) Vopisc. Aurelian. 34.
[27]) Rasche s. v. Triumphus.
[28]) Plut. Marcell. 22. Plin. Panegyr. 17. Juven. X. 37. Senec. Hercul. Oet. 1683. Aem. Paull. 34. Ridiculum sane esset, locos ad confirmandam hanc rem ascribere, nisi saepius noster sedendi mos in Romanos trans-

phalem minus accurate Appianus descripsit; nam vestimentum ejus purpureum, aureis stellis distinctum toga tantum est, quae dicitur picta, *περιβόλαιον πορφυροῦν, ἁλουργὲς χρυσόπαστος*,[29]) quum tunica ab eo omittatur, quam in triumpho palmatam nominatam esse notum est. Sed quum utraque vestis simillima inter se esset, facile ille error ignosci potest. Nam tunica quoque auro picta erat et quidem palmis aureis, deinde Victoriarum cum palmis[30]) vel Caesarum ipsorum imaginibus. Jam si antiqua tempora respicimus, haud scio an non Festo[31]) fides sit tribuenda, qui togas triumphales antea purpureas tantum, neque pictas fuisse tradit. Etenim praeterquam quod pictarum vestium usus perantiquus est,[32]) quod etiam Jovis Olympii amiculum Pausania teste liliis (*κρίνοις*) aureis ornatum erat, ceteri scriptores de Etrusca pictarum vestium origine consentiunt, neque testimonium rudis alicujus picturae multum valere potest. Tunicam etiam apud Etruscos auro distinctam fuisse, praeter Dionysium, qui eam (III. 61.) *χιτῶνα πορφυροῦν χρυσόσημον* dicit, Verrius ait apud Plin. XXXIII. 19. „Aurum super omnia netur ac texitur lanae modo et sine lana. Tunica aurea triumphasse Tarquinium Priscum Verrius docet.“ Improbanda vero etiam Festi sententia de palmatae tunicae nomine videtur esse, quae loco ejus jam ascripto legitur: „Tunica autem palmata a latitudine clavorum dicebatur, quae nunc a genere picturae appellatur.“[33]) Quod enim palmatum est, manus humanae vel ramorum palmae figuram habet; ut digitatum a Plinio (XI, 47. 107.) dicitur, quod digitis est praeditum.

---

ferretur. Cfr. Griech. Prosaiker übers. v. Tafel, Osiander u. Schwab: Appian. VIII. 66. XII. 116. Dionys. II. 34. Ruperti, Handb. d. Röm. Alterth. II. 955.

[29]) Dionys. III. 61. Dio Cass. XLIII. 20. Pompejus Alexandri M. pallio indutus triumphasse dicitur: Appian XII. 116.

[30]) Isidor. orig. XIX. 24.

[31]) S. v. Picta toga. „Picta quae nunc toga dicitur, purpurea ante vocitata est, eaque erat sine pictura. Ejus rei argumentum est pictura in aede Vertumni et Consi, quarum in altera L. Papir. Cursor, in altera M. Fulvius Flaccus triumphantes ita picti sunt.“

[32]) Plin. VIII. 74. „Praetextae apud Etruscos originem invenere. — Pictas vestes jam apud Homerum fuisse, unde triumphales natae.

[33]) Retinuit Festi sententiam, qui tunicam palmatam descripsit in „Paully. Reallex. vol. VI. Cfr. Müller, Etrusk. p. 373.

Quae latitudinem palmae humanae habent, palmaria dicuntur a Varrone et aliis, ut digitalia, quae digiti sunt longitudine vel crassitudine. Plinius de lapidibus etiam palmatis loquitur l. XXXVI. 29. „Theophrastus auctor est — — et ossa e terra nasci invenirique lapides osseos. Palmati circa Mundam in Hispania reperiuntur, idque quoties fregeris.“ Sine dubio lapides in animo habet, in quibus filicum imagines expressae sunt. Etiamsi igitur tunicas triumphales antiquo tempore palmis caruisse et aureo tantum clavo ornatas fuisse credibile sit, tamen a latitudine clavorum nullo modo dici potuerunt, antequam palmae aureae intexerentur.

Sicuti autem jam dixi, honos hujus habitus, „quo nihil cogitari potest augustius“,[34]) eo augebatur, quod simul cum corona aurea et sceptro (etiam Caesarum tempore, quum sine justo triumpho ornamenta tantum triumphalia donabantur[35])) e templo Jovis Capitolini sumebantur ibique reponebantur.[36]) Gordianus suam et propriam primus possedit.[37]) Itaque illo tempore, quo ornamenta triumphalia tam saepe et immerito dabantur, satis magna purpurarum copia Jovi fuerit necesse est.

Sed transeo ad ea, quae imperatoribus in manibus erant, sceptrum et laurum. Dextra[38]) laurum tenebat, in Jovis gremio ponendam,[39]) laeva sceptrum eburneum regium. Quam ob causam Becker sceptrum et diadema, tamquam ornamenta postea

[34]) Quinctil. XI. 1. 3.

[35]) Ael. Lamprid. Alex. Sever. 40. „Praetextam et togam pictam nunquam nisi consul accepit et eam quidem, quam de Jovis templo sumtam alii quoque accipiebant, aut praetores aut consules.“

[36]) Quamobrem appellatur „tunica Jovis“: Juven. X. 38. „Exuviae Jovis“: Sueton. Octav. 94. „Ornatus Jovis“: Liv. X. 7.

[37]) Jul. Capitolin. Gord. 4. „Palmatam tunicam et togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit, quum ante imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio“.

[38]) Plut. Aem. Paull. 34. Dio Cass. XLIII. 20.

[39]) Plin. Panegyr. 8. „Allata erat ex Pannonia laurea — —, hanc imperator Nerva in gremio Jovis collocarat.“ Cfr. Ovid. Trist. IV. II. 56. ex Pont. IV. 90. Stat. sylv. IV. 1. 40. Delphica lauri species, quae majoribus foliis quam Cypria erat, „sterilis vero baccarum“, eligebatur secundum Plin. XV. 39.

addita, e numero regiorum insignium sustulerit,[40]) neque ipse dixit, neque equidem conjicere possum. Etruscam sceptri et coronae originem confirmant Dionysius (III. 61 et 62.), Virgilius (VIII. 505), Silius Italicus (X. 41.), eademque mittuntur a Romanis Porsennae (Dionys. V. 35.) et Masinissae (Liv. XXX. 15.). Aquilae autem in summo sceptro sedentis praeter Lydum (de magistr. I. 7.), cujus verbis Becker usus est, Dionysius (III. 61.) quoque et Invenalis (X. 43.) mentionem faciunt. Aliter sane sese habet, quod Livius (V. 41.) narrat, Roma a Gallis capta, viros triumphales, consulares, praetorios triumphalibus vestibus et scipionibus eburneis praeditos in aedium vestibulis sedisse. Nam quia nullo reipublicae tempore nisi quum magistratus thensas vel imperatores triumphos ducerent, Jovis vestibus indui fas erat,[41]) narratio illa cum damno veritatis videtur a Livio exornata esse.

Sed quoties spolia opima Jovi Feretrio dedicanda erant, imperatores pro sceptro tropaeum querneum armis captis ornatum sursum manu tenentes in curru stabant.

Deinde ad antiquissimum tantum reipublicae tempus pertinet bullae aureae usus, quae si revera fascinationis avertendae neque ornandi modo colli causa aderat,[43]) postea supervacanea facta est, fascino sive phallo, sub imperatore ad currum affixo.[44])

Eodem modo prisco tantum tempore imperatores miniato corpore, imprimis facie Jovem imitatos esse verisimile est. Cujus moris etiam Plinii aetate vestigium quoddam restitisse, ipse dicit libr. XXXIII. 36.: „Enumerat auctores Verrius, quibus credere

---

[40]) II. p. 337. „Spätere Ausschmückung hat noch ein Diadem (στέφανος) und ein Scepter mit darauf sitzendem Adler hinzugefügt."

[41]) Cfr. Liv. ep. lib. LXVII. „Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat." Etiam Caesarum tempore is, ut insolitus mos commemoratur: Dio Cass. LXVII. 4. (Domitianus) καὶ τῇ στολῇ τῇ ἐπινικίῳ ὅταν ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσίῃ χρῆσθαι ἔλαβεν.

[42]) Plut. Marcell. 8. Romul 16.

[43]) Lobeck. Aglaopham. p. 169.

[44]) Plin. XXVIII. 7. „Quamquam illos (infantes) religione tutatur et Fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur et currus triumphantium, sub his pendens, defendit medicus invidiae." O. Müller. I. 374. hunc fascinum cum ipsa bulla confundere videtur.

sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitum, triumphantumque corpora. Sic Camillum triumphasse; hac religione etiam nunc addi in unguenta coenae triumphalis et a censoribus Jovem miniandum locari.“

Caput denique imperatoris laurea corona ornatum fuisse, notissima res est. Quod autem Sab. Masurius apud Plin. XV. 38. curru quoque triumphantes myrtea corona usos esse, ut ovantes, affirmat, sine dubio ad triumphos in Albano monte actos referendum est. Praeterea vero etiam magna[45]) Jovis corona, „gemmis et foliis ex auro quercinis ob Jovem insignis“,[46]) a servo publico (in nummis a Victoria) super imperatoris caput tenebatur. O. Müller (Etr. I. p. 371.) de ea re haec ait: „Man muss das grosse goldne Diadem von dem goldenen Lorbeerkranz oder der corona radiata unterscheiden, die der Triumphator selbst trug.“ At quae hoc loco in universum dixit vir doctissimus, partim tantum vera sunt. Folia arboris sanctae auro efficta nunquam honorem verae frondis assecuta sunt; corona autem radiata usi quidem sunt Caesares, sed mutata temporis ratione. Jul. Caesar primus in theatro et in pompa Circensi per senatus decretum sella aurata et corona gemmis auroque distincta, quam Dio (XLIV. 6.) *στέφανον τὸν διάλιθον καὶ διάχρυσον ἐξ ἴσου τοῖς τῶν θεῶν.* Florus autem (IV. 2.) „coronam radiis distinctam“ nominat, usus est. Quae quum complurium deorum: Solis, Bacchi, Aurorae, insigne esset, non opus Caesari fuit in pompa Circensi magna quoque Jovis corona. Nec quidquam somnio illo Octaviani patris (ap. Suet. Octav. 94.) demonstratur, quo filium sibi visus est conspicere „mortali specie ampliorem cum fulmine et sceptro exuviisque Jovis O. M. ac radiata corona super laureatum currum bis senis equis candore eximio trahentibus;“ species enim

---

[45]) Juven. X. 39. — — — — — Magnaeque coronae
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla.
Quippe tenet sudans hanc publicus et sibi consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.

Plin. XXXIII. 4. „Et cum corona ex auro Etrusco sustineretur a tergo annulus tamen in digito ferreus erat, aeque triumphantis et servi fortasse coronam sustinentis.“

[46]) Tertullian. de coron. 13.

filii, quam vidit, triumphanti quidem similis fuit, sed quae jam ultra humanum modum amplificata in ipsum paene numen se verterat. Deinde in nummis quoque Caesaris praecipue Augusti caput radiatum est,[47]) quia notio quaedam symbolica, ut ita dicam, cum radiata corona conjuncta erat. Apolla, qui jam Aeneae et Trojanis faverat, quum Augusto victoriam Actiacam dedisset,[48]) tamquam divinus gentis Juliae patronus colebatur. Augustus igitur semper Apollinem imitans insigne etiam illud divinum sibi asseruit, id quod postea maxime Caligula fecit.

Ex omnibus igitur, quae dixi, apparet, usum coronae radiatae valde esse circumcidendum neque statim, ubicunque scriptores, ut etiam Appianus ille, laureae mentionem omittant, radiatae imaginem animo informandam.

Pauca jam restant de curru triumphali addenda. Primum enim servus ille, qui Etruscam coronam tenebat, „ut esset exorata a tergo Fortuna, gloriae carnifex“,[49]) interdum haec verba tamquam medicinam imperatori insusurrabat: „Respice post te, hominem memento te etiam“. Tum pueri praetextati etiam, imperatoris filii vel propinqui, ut gloriae honorisque jam prima aetate cupidinem conciperent, in curru stantes vel in equis funalibus sedentes victorem comitabantur.[50])

Juxta currum eunt secundum Appianum scribae et famuli, qui bello interfuerant; proximi autem sequuntur filii imperatoris

---

[47]) Eckhel, doctr. num. VI. p. 12. p. 126. Rasche, V. s. v. triumphus.

[48]) Aen. Virgil. VIII. 704. Prop. IV. 6. 11. Hor. eclog. IV. 10. Quare jam Latino a Virgilio corona Apollinis attribuitur; Aen. XII. 159.

— — — — ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt
Solis avi specimen.

[49]) Plin. XXVIII. 7. Servi verba Tertullianus commemorat loco mihi ignoto.

[50]) Liv. XLV. 40. (de filiis Aem. Paulli) „Quos praetextatos curru vehi cum patre sibi ipsos similes praedestinantes triumphos oportuerat.“ Cfr. Valer. Max. V. 7. 1. et 10. 2. Tacit. Ann. II. 41. Capitolin. M. Anton. Phil. 34. Sueton. Tib. 17. „Pubescens Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est sinisteriore funali equo, quum Marcellus, Octaviae filius, dexteriore veheretur.“

adulti,[51]) senatores belli participes,[52]) tribuni et legati,[53]) cives Romani servitute hostium exempti, capitibus rasis, pileati,[54]) Caesarum tempore nonnunquam uxores quoque, ut Claudii Messalina carpento vecta.[55]) Milites ipsi agmen claudunt, „equites turmatim et cohortes peditum suis quaeque ordinibus,“[56]) lauro redimiti, praemiis militaribus ornati, quibus aut in bello aut ante triumphum in Circo Flaminio donati erant.[57])

Morem ipsum, quo milites incedebant, permulti scriptores nobis descripserunt. Ad commissantium modum,[58]) laetitia exsultantes, „Jo Triumphe“ clamabant[59]) et carmina vel translaticia vel ex tempore facta canebant. Versibus ea composita erant Saturniis, postea tetrametris trochaicis, pro poetarum ingenio horridis et confragosis; alterni autem fundebantur, ut similes fere sermonibus essent.[60]) Pleni vero erant „sollemnis militum lasciviae“ (Liv. IV. 53.) et documenta *παλαιᾶς καὶ ἐπιχωρίου οὔσης Ῥωμαίοις τῆς κερτόμου καὶ σατυρικῆς παιδίας* (Dionys. lib. VII. 72.). Etenim quamquam non raro laudibus duces suos extollebant, ut Mam. Aemilio triumphante Cornelium Cossum, quem spoliorum opimorum causa cum Romulo compararunt,[61]) et Camillum, quem Romulum ac parentem patriae conditoremque alterum urbis appellarunt;[62]) tamen minima quaeque delicta perstringebantur et carpebantur, majora delicta acerbissime detegebantur. Ita Caesari triumphanti milites objecerunt, se apud Dyrrhachium lapsana vixisse;[63]) multo vero acerbiores sunt versus, quos Suetonius nobis servavit de impudica ejus cum Nicomede consuetudine et

[51]) Liv. XLV. 40. „Post currum inter alios illustres viros filii duo.“
[52]) Dio Cass. LI. 21.
[53]) Appian. XII. 116. Suet. Claud. 17. Equo vehi solebant: Cic. in Pison. 25, 60.
[54]) Liv. XXXIII. 23. XXX. 45. XXXIV. 51. Valer. Max. V. 2. 6.
[55]) Suet. Claud. 17.
[56]) Liv. XLV. 40.
[57]) Liv. XXXIX. 5.
[58]) Liv. III. 29.
[59]) Varro de ling. l. 17. 68.
[60]) Plin. XIX. 41. Liv. IV. 53.
[61]) Liv. IV. 20.
[62]) — V. 49.
[63]) Plin. hist. XIX. 41.

de Cleopatrae amore.[64]) Omnium molestissime ferebant parsimoniam et malignitatem praemiorum, adeo ut, si minus contenti erant, „taciti, ut iratos esse sentires, currum secuti sint.“[65])

Caesarum tempore minime quidem una cum libertate civium licentia militum minuebatur, immo indies crescebat, nihilo tamen minus, quum mores naturaque vere Romana jam permutata essent, studium quoque illud cavillandi et jocandi Romanis proprium et quasi innatum videtur desiisse.

Quid enim ineptius atque frigidius cogitari potest his versibus in laudem Aureliani Romae cantis?[66])

> Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus,
> Mille, mille, mille, mille, mille Persas quaerimus!

Ubi igitur pompa tali fere modo ornata et disposita urbem ingressa est, civium plausu laetaque acclamatione imperator excipiebatur;[67]) tota via triumphalis floribus conspersa[68]) erat, tus in omnibus templis accensum. Raro fortasse militibus evenit, quod Dionysius (II. 34.) de Romuli, Livius (III. 29.) de Cincinnati triumpho narrant, ut epulae iis ante omnium domus instructae essent. Celeriter autem pompam processisse, parum credibile est, immo restitisse saepe equos Ovidius dicit (Trist. IV. II. 34.), atque tarditatem satis molestam fuisse Vespasiani exemplo scimus,[69]) qui ceteroquin neque gloriae neque magnificentiae studiosus tanto triumphi taedio affectus est, ut „non reticuerit: merito se plecti, qui triumphum aut debitum majoribus suis aut speratum nunquam sibi, tam inepte senex concupisset.“

Cum triumpho duo epula conjuncta erant. Alterum in Herculis triumphalis templo, de quo postea dicam, ab imperatore

---

[64]) Suet. Caes. XLIX. 51. Dio Cass. XLIII. 20.

[65]) Liv. XLI. 13.

[66]) Vopisc. Aurel. c. 6. et 7. Cfr. de tota re „Fütterer,“ de licentia triumphali militum Romanorum.“ (vid. II. not. 23.)

[67]) Interdum populi plausu militum conviciis repugnante strepitus satis magnus exstiterit, necesse est, sicuti in triumpho Valerii cos. (Liv. IV. 53.) „quum ad omnem mentionem tribuni (Maenii) favor circumstantis populi plausuque et assensu cum vocibus militum certaret.“

[68]) Ovid. e Pont. II. 1. 35. Quaque ierit felix adjectum plausibus omen
Saxaque roratis erubuisse rosis. Cfr. Trist. IV. II. 33. et 49.

[69]) Suet. Vespas. 12.

plebi parabatur, cujus cibi singuli ab Athenaeo (Deipnosoph. IV. 13. cfr. V. 20.) nobis nominantur: *Ἄρτοι μεγάλοι καὶ καπνιστὰ ἑφθὰ κρέα τῶν καθιερωθέντων ὀπτά δαψιλῆ.* Jam vero decumam praedae bello partae in his Herculeis cibis consumptam esse, id quod ubique scriptum inveni,[70]) minus crediderim. Testimonia enim veterum de decuma *τῶν χρημάτων* i. e. bonorum non praedae loquuntur.[71]) Imprimis Plutarchus, qui morem sic explicare studet (Quaest. Rom. 18.), quasi divitiae in liberis civitatibus invisae, tamquam corporis adeps, decuma illa minuendae essent, nullo modo decumam praedae in aerarium redigendae in animo habuit, sed privatorum fortunas. Certe factum interdum est, ut praedae etiam decuma bello vota Herculi dedicaretur. Quomodo autem rem nobis cogitemus, si alii deo, ut Apollini Vejis captis praedae decuma jam danda erat? An cives tum coena privatos esse putemus? Sine dubio imperator primum pauperibus deinde crescente luxuria omnibus civibus epulum illud suo sumptu dedit, neque velim semper proprie decimam partem intelligendam esse, sed, ut nos etiam vocabulo „der Zehnte“ utimur, in universum aliquam tantum partem.

Altera coena in Capitolio ab senatu imperatori instruebatur,[72]) non ab imperatore ipso amicis suis, quemadmodum Appianus narrat. Consules autem omnesque quibus majora auspicia quam imperatori ipsi erant, ad coenam quidem invitabantur, sed, ne imperatoris honos ibi minueretur, ut domi manerent rogabantur. Jul. Caesar in Capitolio „quadraginta elephantis lychnuchos gestantibus usus est;“ et si majorem Dioni quam Suetonio fidem

---

[70]) Nuperrime apud Schweglerum, Roman. hist. (1853.) pag. 367.: „Eine weitere characteristische Seite des Röm. Heraclesdienstes war die Sitte, von jedem Siege den Zehnten des Gewinns bei der Ara Maxima darzubringen, wovon alsdann eine Speisung der gesammten Bürgerschaft veranstaltet wurde.“

[71]) Plut. Crass. 2. Sull. 35. Dionys. I. 40. Herculi enim *πλουτοδότῃ*, cui divitias debebant divites, etiam aliquam partem reddendam esse putabant.

[72]) Liv. XLV. 39. „Quid? illas epulas senatus, quae nec privato loco, nec publico profano, sed in Capitolio eduntur, turbaturi estis?“ Cfr. Plut. Rom. quaest. 80. Valer. Maxim. II. 8. 6., qui cum Appiano consentire videtur.

habemus, post coenam triumphalem in forum cum iis descendit. Lumina vero Caesari minime opinanti a populo accensa esse, ut Drumannus censet, e Dionis verbis concludere non possum.[73])

Considerato justo vel curuli[74]) triumpho, priusquam ad alios honores cum ipso conjunctos transeo, pauca de ovatione adjiciam. Accuratius quam ceteri scriptores Dionysius de ea agit lib. V. 48. „*Διαφέρει δὲ θατέρου (θριάμβου), πρῶτον μὲν ὅτι πεζὸς εἰσέρχεται μετὰ τῆς στρατιᾶς προηγούμενος ὁ τὸν εὐάστην κατάγων θρίαμβον, ἀλλ' οὐκ ἐφ' ἅρματος, ὥσπερ ἐκεῖνος, ἔπειθ' ὅτι οὐ τὴν ποικίλην καὶ χρυσόσημον ἀμφιέννυται στολήν, ᾗ κοσμεῖται ὁ ἕτερος, οὐδὲ τὸν χρυσέον ἔχει στέφανον, ἀλλὰ περιπόρφυρον λευκὴν περιβέβληται τήβενναν, τὸ ἐπιχώριον τῶν ὑπάτων τε καὶ στρατηγῶν φόρημα, στέφανον δ' ἐπίκειται δάφνης, μεμείωται δὲ καὶ τοῦ σκήπτρου τῇ φορήσει παρὰ τον ἕτερον. Τὰ δ' ἄλλα πάντα ταὐτὰ ἔχει.*“ Insignia igitur imperatoris ovantis multo inferiora erant quam triumphantis. Deerant enim praeter currum eburneum, laurus, toga picta, corona aurea, sceptrum Jovis; ita ut praetextatus urbem ingrederetur, myrto Veneris victricis[75]) ornatus, tibiis non tubis canentibus, pro tauris ovem mactaturus. Pedibusne an equo vehens urbem intraverit veteres jam scriptores non certe scisse videntur. Gellius enim (V. 6.) ait: „Praetereundum non est, quod ad ovationes attinet, super quo dissensisse veteres scriptores scio; partim enim scripserunt, qui ovaret, introire solitum equo vehentem, at Sabinus Massurius pedibus[76]) ingredi ovantes dixit, sequentibus eos non militibus sed universo senatu.“ Neutra earum sententiarum omni

[73]) Drum. III. p. 615. Suet. Caes. 37. Dio. Cass. XLIII. 22.

[74]) Rectissime Beckerus Niebuhrii sententiam, qui triumphum curulem cum magistratu curuli conjunxerat, non est secutus (Handb. II. 2. p. 81. not. 160.). Quum autem ipse suam sententiam reticuerit, equidem iis, qui curulem triumphum proprie currulem dictum esse putant, non dubito assentiri. Diserte enim Suetonius qui de Augusti vita agens (c. 22.) hoc nomine utitur non curulem dignitatem eo notat, sed omnino ovationes quas pedibus vel equo egerat Augustus, triumphis, quos in curru stans deportaverat, opposuit. Etiam s e l l a e c u r u l i s originem recte mihi videntur Graeci scriptores intellexisse, graece eam reddentes: *ἁρμάτιος δίφρος* (Dionys. V. 47.)

[75]) Plut. Marcell. 22. Plin. XV, 28. Gell. V, 6. Unus tantummodo M. Crassus, Spartaci victor, quum ovans rediret, myrtum aspernatus senatusconsultum faciendum curavit, ut lauro pro myrto sibi uti liceret.

[76]) M. Plut. et Dionys. ll. ascriptis.

ex parte vera est; ii enim qui equis introiverunt, plerumque comites tantum triumphorum fuerunt, ut Livius Salinator devicto Hasdrubale, magistri complures equitum cum dictatoribus ineuntes, Crassus Frugi cum Claudio Caesare (Suet. Claud. 17.), Domitianus cum Vespasiano (Dom. 2.). Caesarum vero tempore saepius equo usos esse apparet e Dionis verbis quae leg. lib. LIX. 16. fin. et 17. init. Massurii denique de militibus sententiam falsam esse, non opus erit demonstrare (cfr. Liv. XXXI, 20.). Sine dubio eam conceperat, quoniam permultos imperatores, qui exercitum non deportaverant, ovationem tantum adeptos esse, legerat.

Honores autem, qui jam ante Augusti aetatem praeter triumphum imperatoribus ab senatu decernebantur, partim semper tamquam pedissequi triumphi comites erant, partim rarius dabantur. Illis primum statua laureata annumeranda est, primo tempore pedestris, ut Romuli statua tropaeum manu tenens, quam Plutarchus vidit, deinde quarto vel quinto urbis saeculo equestris fieri coepta.[77]) Quadrigae primum in deorum honorem positae memorantur a. u. 560.[78]) Caesares deinde saepe quadrigas fornicibus suis triumphalibus imposuerunt. Julio autem Caesari in Capitolio juxta Jovem quadriga posita est et statua in aenea terrae effigie stans, cui inscripserant: Ἡμίθεός ἐστιν.[79]) — Porro si quaerimus, ubi statuae collocatae sint, plerumque quidem in foro magno positae sunt[80]) atque Augustus praeterea omnium quicunque triumpharant, statuas in utraque fori sui porticu dedicavit;[81]) attamen aliquanto honorificentior erat statua in curia vel in Palatio vel in Capitolio posita.[82])

[77]) Plut. Rom. 16. Liv. VIII. 13. a. u. 417. „Additus triumpho honos, ut statuae equestres iis (F. Camillo et Maenio), rara illa aetate res, in foro ponerentur.“ Plin. XXXIV. 13. „Pedestres statuae sine dubio Romae fuere in auctoritate longo tempore. Equestrium tamen origo perquam vetus est.“

[78]) Liv. XXXV. 41. Cfr. Plin. XXXIV. 10. „Unde (e Graecia) et nostri currus nati in his, qui triumphassent. Serum hoc et in his nonnisi a Divo Augusto sejuges, sicut et elephanti.

[79]) Dio Cass. XLIII. 21.

[80]) Liv. IX. 45. VIII. 13. Tacit. hist. I. 79. annal. XV. 72.

[81]) Suet. Octav. 31.

[82]) Valer. Maxim. IV. 1. 6. „Voluerunt (Africano superiori) statuas in

Statuas triumphales Caesarum saltem tempore ex argento picto factas esse Plinius scribit libr. XXXIII. 46.

Quae autem reliqua sunt virorum triumphalium insignia — de arcubus enim triumph. in parte dissertationis topographica agam — festis tantum diebus conspiciebantur. Solebant tunc laurea m coronam gestare et nonnunquam in Circo loco proprio et sella curuli uti. Neque tamen multos sellae curulis honore gavisos esse neque sine senatus auctoritate vel populi jussu eum sibi vindicasse e veterum scriptis colligi potest. Sicuti enim Valer. Voluso a. 260. „super solitos honores" locus in Circo datus sellaque curulis ibi posita dicitur, inter honores quoque Caesari decretos sella curulis aurata commemoratur.[83]) Laureae usum aliquanto liberiorem fuisse a Plinio docemur, qui (hist. l. XV. 38.) „L. Piso", inquit; „Papirium Masonem tradit myrto coronatum ludos Circenses spectare solitum. — M. Valerius duabus coronis utebatur, laurea et myrtea, qui et hoc voverat." Quamquam enim Papirius myrtea tantum utebatur, tamen nisi mos fuisset, ea quoque ei interdictum esset, praesertim quod ne in urbe quidem triumphum habuerat. Neque intelligere possemus, quomodo Valerius religione voti se obstrinxisset, si ne votum solveret ab senatu prohiberi potuisset. Omnino vero semper tenendum est, fortasse in Circensibus tantum ludis laureae usum permissum fuisse; nam Octaviano quoque post proelium Actiacum senatusconsulto opus fuit, ut lauream omnibus diebus festis ferret.[84])

Extremo demum reipublicae tempore, quum Romani jam nescirent quot et quantis honoribus tyranni sui essent cumulandi, togam quoque pictam et tunicam palmatam iis obtulerunt. Plebiscito licentia Pompejo data est, ut ludis Circensibus corona laurea et omni triumphantium cultu uteretur, scenicis autem praetexta coronaque laurea. Sed si Valerio Maximo (II. 40) fidem habemus, semel tantum omnibus ornamentis ille usus est. Julius

---

comitio, in rostris, in curia, in ipsa denique Jovis cella ponere." Tacit. ann. XV. 72.

[83]) Liv. II. 31. Dio Cass. XLIV. 6.

[84]) Dio Cass. LI. 20. Etiam de Agrippa, quippe cui pro laurea coronam auream rostris ornatam donasset, Octavianus senatum consuluit.

Caesar vero ornatu triumphali omnibus festis diebus, corona laurea calvitii causa semper se ornavit.

Praeter omnem consuetudinem denique evenit Duilio qui primus Romanorum classe vicerat, ut, quoties a coena revertebatur funale tibicine canente ei praeferretur, et Luc. Cornificio, qui Caesari gratiosus erat, ut quum foris coenaverat, elephanto revehi ei liceret.[85])

Jam vero tota reipublicae forma ab Augusto immutata proprie nemo nisi Caesares ipsi triumphum exspectare poterat. Nam quum ii tantum, qui suis auspiciis rem gesserant, triumphare possent, Caesares, qui summum militum imperium, summa igitur etiam auspicia sibi reservabant, soli etiam triumphos agere poterant. Itaque novum exstitit praemiorum genus. Triumphi quidem decernebantur ducibus ab senatu, non tamen ab iis agebantur; sed tamquam solatium iis insignia triumphi praebebantur, paullo alia jam significatione ornamenta triumphalia nominata.[86])

Primus ea accepit secundum Dionem, Agrippa, clarissimus Augusti dux:[87]) *Ἐπ' αὐτοῖς θυσίαι μὲν τῷ τοῦ Ἀγρίππου ὀνόματι ἐγένοντο, οὐ μέντοι καὶ τὰ ἐπινίκια καίτοι ψηφισθέντα αὐτῷ ἐπέμφθη. Οὔτε γὰρ ἔγραψεν ἀρχὴν εἰς τὸ συνέδριον ὑπὲρ τῶν πραχθέντων οὐδέν· ἀφ' οὗ δὲ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα νόμῳ τινὶ τῷ ἐκείνου τρόπῳ χρώμενοι, οὐδ' αὐτοὶ τῷ κοινῷ ἐπέστελλον, οὔτε τὴν πέμψιν τῶν νικητηρίων ἐδέξαντο. Καὶ διὰ τοῦτο οὐδ' ἄλλῳ τινὶ ἔτι τῶν ὁμοίων αὐτῷ (ὥς γε καὶ ἐγὼ κρίνω) ποιῆσαι τοῦτο ἐδόθη, ἀλλὰ μόναις ταῖς ἐπινικίοις τιμαῖς ἐγαυροῦντο.* At neque Dio de ea re recte judicavit, neque Rabus ejus verba bene explicavit, sed errorem illius suo auxit. „Constat“, inquit (pag. 5.), „duces Romanorum re praeclare gesta non statim triumphasse, sed litteras laureatas Romam misisse, quibus res gestas exponerent, quae si Senatui

[85]) Liv. epit. XVII. Valer. Max. III. 7. 4. Flor. II. 2. Dio Cass. XLIX. 7.

[86]) Rabus, de ornamentis triumphalibus. Progr. gymn. Augustan. Vindelic. 1850. Borghesii commentationem e brevi tantum Marquardtii commemoratione (Handb. III. 2. p. 452.) cognovi.

[87]) Dio, LIV. 24. Sed jam ante Agrippam simile quid tradit de Marco Vinicio, cui quum triumphum sibi decretum non accepisset, praeter arcum in Alpibus positum concessum sit ut Calendis Januariis corona et veste triumphali uteretur: LIII. 26.

dignae viderentur, tum demum eum decretum esse (?) Quum igitur Agrippa nullas publice misisset litteras, quibus triumphi honorem peteret, qui non solebat concedi nisi petenti, Augustus non triumphum, sed tantum triumphalia ornamenta ei concessit." Primum confusam istam de petendi triumphi ratione confutare, non opus erit. Deinde non possum quidem non concedere, Octavianum, quum jam antea Domitio Calvino (pag. 19.) triumphum dedisset, justum Agrippae triumphum non religioni habuisse, sed omnino Caesaris majestatem eo minui putasse. Quod vero ad causam attinet, qua Augustus ad denegandum honorem usus sit (οὔτε γὰρ ἔγραψεν κ. τ. λ.). Dio sibi ipse repugnat. Triumphum enim opinatur ab Agrippa non actum esse, quia litteras laureatas ad senatum non miserit. Quid vero? Nonne supplicatio atque triumphus ipse ei ab senatu decreta erant? Num igitur credibile est, aut Agrippam ob litteras tantum laureatas (quae fortasse ne senatui quidem sed Caesari, imperatori suo mittendae fuissent) nimis religiosum triumphi honorem repudiasse, aut Augustum eamdem ob causam (qua ne ipse quidem sed unicus senatus offendi potuisset) triumphum ab senatu decretum non permisisse? Minime vero. Immo quamvis falsam rei causam attulerit, nullo tamen verbo Dio Cassius triumphum ab Augusto denegatum esse ait; sed ab Agrippa non acceptum (ἀφ' οὗ — — — — — οὐκ ἐδέξαντο).[88]) Nam vir ille praestantissimus et modestissimus, a puero cum Augusto familiaritate conjunctus omniumque ejus consiliorum particeps,[89]) quum facile Augusti sententiam perspiceret, honorem ipse deposuit. Quamobrem in hac re majorem etiam Dioni fidem tribuo, quam Suetonio, qui Tiberium „primum, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratum, novo nec antea cuiquam tributo genere honoris" dicit (Tib. 9.). Itaque ut hoc e Dionis verbis colligamus licet, primo tempore triumphos ipsos ab senatu decretos esse, pro quibus triumphalia tantum ornamenta assumebantur; sed jam Augusti tempore minore cum honore statim ab senatu insignia sola decer-

[88]) Tiberio sane ab senatu decernitur, ab Augusto non permittitur: Dio LIV. 51.

[89]) LIV. 29.

nebantur — id quod mihi elucet e Suetonii verbis, quae leg. Octav. 38.: „Super triginta ducibus justos triumphos et aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit.“ Ceterum postero etiam tempore quamvis non consulto convocato tamen senatu a Caesaribus ornamenta dabantur.[90])

Deinde si quaenam fuerint ornamenta triumphalia Caesarum aetate quaerimus, Rabus cum multis aliis in eo maxime errasse mihi videtur, quod haec Caesarum tempora cum superioribus confundens omnia triumphi justi insignia, his viris triumphalibus ascripsit. Neque enim locis scriptorum ad reipublicae tempora pertinentibus ad demonstranda ornamenta triumphalia uti possumus, neque nimis nummis confidere, quibus saepissime quidem triumphi insignia impressa sunt, sed tamquam signa tantum („Symbole“) gloriae bello partae et triumphi acti, ut etiam militaria signa, vexilla, spolia. Imprimis nummus ille Augusti (apud Golz. tab. XXXIX. Eckhel VI. p. 113.) quem Rabus (p. 10.) et Marquardtius (p. 452. not. 2706.) commemorant, nequaquam huc referendus est. Etenim quum praeter togam pictam et scipionem et coronam lauream, quadrijuges quoque equos et quadrigam marmoream in eo conspiciamus, quid obstat, quin quadrigam etiam hominibus ornamentis tr. praeditis positam esse putemus?

Certissima autem sunt ea, quae jam ante Augustum hominibus triumphalibus concessa erant; laureae usus et statuae laureatae honor, quae, quum saepissime commemorentur, nunc locorum auctoritate confirmare non opus erit. Sine dubio etiam sella curuli in ludis Circensibus utebantur. Scipio vero eburneus, quamquam et triumphantibus et thensam ducentibus et consulibus posterioribus munus ineuntibus[91]) in manibus erat, ab nullo tamen auctore ornamentis triumphalibus annumeratur. Ex eo enim, quod regibus exteris, ut Porsennae, Masinissae, Ptolemaeo una

[90]) Tacit. XV. 72.

[91]) Cassiod. Var. VI. 1. Vopisc. Aurelian. 13. Minime vero ad hunc „processum consularem“ attinere velim Juvenalis versus. X. 35. (Marquardt. p. 454. not. 1724.) quibus aperte praetor vel consul describitur thensas in Circum (v. 37 „in pulvere Circi“) ducens itaque coronam Etruscam ferens, quam Cassiodorus et Vopiscus quamvis singula quaeque ornamenta consulum enumerent, non commemorant. Cfr. Müller, Etr. I. 374. not. 67.

cum ceteris insignibus missus est,[92]) non sequitur, ut a Caesaribus duces eo donati sint, nisi forte coronam quoque auream his tribuimus.

Quin etiam vestium triumphalium usus angustis paucorum dierum terminis continebatur. Ne in triumphis quidem aliorum semper vestibus pictis viros triumphales usos esse e Suetonio discimus, qui Claudii triumphum describens (c. 17.): „Triumphavit,“ inquit, „maximo apparatu. — — — Secuti et triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed ceteri pedibus et in praetexta, Crassus Frugi equo phalerato et in veste palmata quod eum honorem iteraverat.“ Fortasse honorem suum minui Caesares existimabant, si quis pari habitu ornatus ipsos sequeretur. Simili ratione duos alios Suetonii locos mihi explico, qui inter se cohaerentes valde vexarunt interpretes. Primum (Tib. 9.) jam attigimus: „Quas ob res Tiberius et ovans et curru urbem ingressus est, primus, ut quidam putant triumphalibus ornamentis honoratus;“ alter legitur c. 19. „Quas ob res triumphus ei decretus est multique et magni honores. Triumphum ipse distulit, moesta civitate clade Variana. Nihilominus urbem praetextatus et laurea coronatus intravit positumque in septis tribunal senatu adstante conscendit ac medius inter duos consules cum Augusto sedit, unde populo consalutante circum templa deductus est.“[93]) Ad illum locum quod attinet, neque ad „ovans“ neque ad „curru“ verba „primus — honoratus“ refero, sed pro confuso Suetonii more dicendi tertium iis honorem significari arbitror, ita ut hoc sit intelligendum: postquam triumphalia ornamenta accepit, et ovationem habuit et justum triumphum, id quod cum Dionis historia congruit.[94]) Confecto autem

---

[92]) Rabus, p. 10.

[93]) Vellej. II. 96. „Hujus victoriae compos Nero ovans triumphavit.“

[94]) In singulorum vero triumphorum ordine a Suetonio discrepat. Narrat enim, Tiberium Agrippa mortuo Pannoniae causa triumphalia ornamenta accepisse; LIV. 31.; deinde eadem terra et Dalmatia victis ovantem equo urbem ingressum esse: LV. 2.; tum e Germania triumphasse: LV. 6. et 8.; Denique e Pannonia rediisse et in septis populum consalutasse, quo facto *τά τε ἄλλα τὰ προσήκοντα ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ἐποίησε καὶ θέας ἐπινικίους διὰ τῶν ὑπάτων*: LVI. 1. Quae si vera sunt, Suetonium hunc

Pannonico bello quum ornamenta triumphalia haberet, laurea et praetexta ornatus in urbem introiit, ovantis igitur habitu. Id certe contra majorum morem fuit, quia patres ei ovationem non decreverant. Sed multo major Tiberii insolentia fit Rabi interpretatione, qui non togam praetextam sed pictam intelligendam esse censet.

Mox autem ornamentorum triumphalium et causa et vis in oblivionem venit, ita ut cum insignibus, quae nunc „Orden“ vocantur, comparari possint. Nam neque ob res bene gestas sed qualibet alia de causa dabantur,[95]) neque iis tantum qui magistratus gesserant, sed etiam senatoribus, equitibus, delatoribus, atque adeo pueris.[96]) Denique a Trajani tempore videntur Consulibus tantum omnibus festis diebus utenda esse data,[97]) itaque priorem significationem prorsus amisisse. Statuarum tantummodo triumphalium honor remansit, saepius tamen mortuis contigit, quam vivis.[98])

Numero denique triumphorum si animum advertimus, CCCXX. usque ad Vespasianum actos esse Orosius (VII. 9.) memoriae tradidit, quibus XXX. postea ducti adjici solent. Clausit vero imperatorum triumphantium seriem Diocletianus a. u. 302.[99])

ultimum introitum prima ejus ovatione confudisse apparet. Ceterum, secundum Dionem cladis Varianae nuncius post ultimum Tiberii reditum Romam venit, qua re Suetonii error duplicatur.

[95]) Sueton. Nero 15. Dio Cass. LX. 23. Tacit. ann. XV. 72.

[96]) Cfr. Marquardt. p. 452.

[97]) E Trajani tempore duas inscriptiones Borghesius nominat apud Marquardtium p. 453. not. 2720.

[98]) Dio Cass. LXIX. 6. (Hadrianus) *εἰκόνας πολλοῖς μὲν ἀποθανοῦσιν ἐς τὴν ἀγορὰν ἔστησε, πολλοῖς δὲ καὶ ζῶσιν.* LXIX. 18. LXXI. 3. LXXII. 11.

[99]) Eutrop. IX. 27.

IV. De via triumphali.

Si ante omnia locum quaerimus, quo exercitus cum imperatoribus senatus decretum exspectabant, quo milites ipsa triumphi die ordinabantur, unde igitur pompae quoque agi solebant, semper in Campo Martio ea facta esse legimus. Attamen quaeritur, num forte interdum imperatores ab alia regione urbem ingressi sint. Tamquam vestigia enim triumphorum videntur restitisse arcus illi triumphales, quos si semper in triumphali via erectos esse cogitamus, quid est — ut hoc uno exemplo utar — quod Appia via per Capenam portam triumphos ductos esse negemus, quoniam inter Appiam portam Aureliani et Capenam tres arcus: Drusi, Trajani, Veri fuisse scimus?[1]) At satis notum est, arcus triumphales non solum ad exornandum triumphum ab senatu vel ab imperatoribus ipsis destinatos esse, sed etiam interdum ne ullo quidem triumpho habito, ut tres Stertinii fornices in foro Boario et Circo Maximo,[2]) nonnunquam in honorem imperatorum mortuorum, ut idem Drusi arcus ad portam Appiam,[3]) saepenumero multiplices diversis Urbis locis ab uno Caesare ut a Domitiano[4]) positos esse. Etiam Trajani nonnulli arcus exstiterunt,[5]) quorum alter in ipsius foro, alter extra portam Capenam certe nulli umquam triumpho transitum dederunt. Nihilo tamen minus semel

---

[1]) Curios. Urb. s. Port. Cap.
[2]) Liv. XXXIII. 27.
[3]) Suet. Claud. 1. Dio Cass. LV. 2.
[4]) Suet. Dom. 14.
[5]) Dio LXVIII, 29.

pompa triumphalis Appiâ viâ per Capenam portam videtur urbem iniisse, deridendam dico illam Neronis *ἱερονίκου*. Duo scriptores eam rem narrant, Suetonius et Dio Cassius,[6]) et ii quidem — id quod Beckerus rectissime vidit — si muri demolitionem consideramus, alio quisque modo. Aperte enim Dio ipsorum moenium et portae partem dirutam esse dicit, Suetonius autem post introitum („dehinc") arcum Circi a Nerone disjectum. Bunsenius igitur portae et Circi mentiones inter se conjungens, ut inde porta sua triumphalis nasceretur, procul dubio erravit. Nequeo vero etiam Beckero ipsi assentiri, qui, quum Suetonius Neronem ab Albano venientem per Circum M. et Velabrum ad forum usque vectum esse dicat, non sine aliqua veri specie inde concludit, Caesarem insanum Capena porta urbem, postico arcu Circum introisse indeque per magnam Circi januam in Velabrum perrexisse:[7]) Quid enim ex eo sequitur, quod Nero Appia via ad urbem appropinquavit? Omnes imperatores qui ex oriente vel ex Italia inferiore triumphaturi erant, ab hac regione venientes exercitum praeter urbem in Campum Martium circumducebant. Cur autem Velabri causa Neronem consuetudine inversa Circum intrasse putemus? Potuitne, sicuti Circensis, Neronis pompa ubi magnam Circi januam introiit, circum spinam duci et arcu diruto in forum Boarium et Velabrum pergere? Praeterea omnibus justi triumphi insignibus urbem invehentem incredibile paene est, porta triumphali non usum esse.

Itaque quum nullum aliud imperatoris de solita triumphi via decedentis exemplum notum sit, non licet nobis Neronis gratia,

---

[6]) Suet. Nero. 25. „Reversus e Graecia Neapolim, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicarum est. Simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. — — — Dehinc diruto Circi M. arcu per Velabrum Forumque Palatium et Apollinem petiit. Dio Cass. LXIII. 20. *Ἐπεὶ δ' οὖν ἐς τὴν Ῥώμην ἐσήλασε, τοῦ τε τείχους τι καθῃρέθη καὶ τῶν πυλῶν περιεῤῥάγη. — — καὶ οὕτω διά τε τοῦ ἱπποδρόμου καὶ διὰ τῆς ἀγορᾶς — — ἐς τὸ καπιτώλιον ἀνέβη κ. τ. λ.*

[7]) Prellero quoque videtur de ea re persuasisse, qui dicit („Region. d. Stadt Rom." p. 118.): „Die zuletzt genannten Bogen (Arcus Veri, Trajani, Drusi) standen jedenfalls auf der Via Appia, **wobei zu bemerken, dass die Triumphzüge auch bisweilen von dieser Seite in die Stadt rückten**; s. Suet. Ner. 25."

qui ne verum quidem triumphum egit, aliis aliam viam concedere.

Revertamur igitur in Campum Martium. Fide satis dignum est, quod Beckerus et Prellerus contendunt; imperatores ipsos prope Septa in Villa Publica ante triumphum deversatos esse. Eo enim aedificio, quod jam a. u. 431. exstitit, simili modo magistratus etiam utebantur ad delectum et censum habendum et ad legatos externos collocandos; neque alio loco videtur Vespasianus pernoctasse, quum juxta Isidis templum, quod a Josepho nominatur, Septa fuisse notum sit.[8]) Inde pompa progredi coepit exercitu ordinato et sacris ab imperatore ad portam triumphalem factis. Ut autem certo ejus finem scimus, ita incerti sunt paene primi gradus. Nam quamquam saepe per Flaminium circum, antequam pomoerium urbis transgrederentur, triumphos ductos esse, Vespasiani et Aem. Paulli et Luculli exempla docent, nullo tamen modo accurate viam triumphalem persequi possumus, priusquam portae Triumphalis situs definitus est. Jam vero compluribus diversis locis a viris doctis ea locatur, ab Italis inter Capitolium et Tiberim, a Bunsenio in Circo Maximo, a Beckero et Prellero extra urbem inter Campum Martium et Campum Flaminium, quorum prioribus nunc omissis statim sententiam ab adversariis Beckeri defensam considerabo. Bunsenius igitur et Urlichsius ipsum Circi Max. ostium Triumphalem illam portam fuisse volunt, quo factum est, ut totum Tulliani muri inter Capitolium et Aventinum tractum mutare coacti sint. Quam opinionem optimo jure miram appellasse Beckerus mihi videtur, neque esset, cur firmissimis ejus argumentis quidquam adderetur, nisi Urlichsius non Beckero quidem, sed omnibus fere ejus rationibus respondere dedignatus esset. Itaque, ut primariam statim Bunsenii causam examinemus, locus est ille Plinii (hist. III. 5. 9.) de portis „quae sunt hodie numero triginta, ita ut d u o d e c i m semel numerentur“ (cfr. Jul. Obsequ. 130. et Notit. reg. XI.).

---

[8]) Cic. ad. Attic. IV. 16. Liv. IV. 22. Joseph. de bell. Jud. VII. 5. Juvenal. VI. 528.

„A Meroe portabit aquas ut spargat in aedem
Isidis, antiquo quae proxima surgit ovili.“

Nam duodecim portae, quae in Notitia juxta Portam Trigeminam nominantur nihil aliud ei sunt nisi carcerum Circi aditus, Triumphalis autem porta inter medias duodecim tertia decima. Non habeo in animo, totam controversiam de hac re ortam novamque Beckeri conjecturam, qui Aquae Appiae duodecim arcubus portarum nomen indidit, denuo persequi. Primum enim inde apparet, minime certum esse carcerum nomen, deinde duodecim portarum omnium mentio non ante Vespasiani tempora est facta. Quid autem colligi licet e nomine antea non audito, si eo tempore memoratur, quo ne vestigia quidem moenium Tullianorum facile reperiri poterant — id quod jam septuaginta annis ante Dionysius (IV. 3.) fatetur — quo igitur omnis portarum utilitas evanuerat? Quid obstat denique, quominus duodecim illas portas revera carcerum januas fuisse concedamus, urbis portas fuisse negemus? Satis notum est, etiam intra urbis moenia portas fuisse, quarum luculenta exempla: Stercorariam, Libitinensem, Fenestellam, Romanam, Beckerus („De muris et port." p. 103.) attulit. Eodem modo duodecim quoque januas carcerum portas appellatas esse dicerem, nisi prorsus incredibile esset, ostia Circi minora cum interjacente magna porta veri numeri nomine caruisse. — Sed haec de Vespasiani tempore, quo murus erat res urbi supervacanea. Si antiqui temporis respectum habemus, plane imprudentis hominis fuisse puto, brevissimo spatio moenia tredecim portis perfodere, quae in omnibus urbibus munitis rarae ad necessarium tantum usum statuuntur. At video, ex antiquo etiam tempore Urlichsium ad comprobandam Bunsenii opinionem, tamquam testem magni momenti sibi vindicasse Varronem, qui d. l. l. V. 32. §. 153.: „In Circo", inquit, „primo unde mittuntur equi, nunc dicuntur c a r c e r e s. Naevius o p p i d u m appellat. — — Quod a m u r i p a r t e cum pinnis turribusque carceres olim fuerunt, scripsit poeta:

Dictator ubi currum insidit,
Pervehitur usque ad o p p i d u m."

Mitto praeter Fulvii Ursini emendationem: „a Murcis parte", a Beckero comprobatam etiam Mülleri lectionem: „ad muri speciem." Non opus esse mihi videtur manu critica, si a Bunsenio

dissentire velimus, qui cum Urlichsio locum ita explicat, quasi carceres Circi ad moenia urbis adjunctos fuisse, inde eluceat. Nam persuasum mihi est, Varronem pro more suo etymologico neque originem verbi „oppidum“ respexisse, neque priscam significationem, sed, praesertim quum murum Circi anticum olim turriculis et pinnis ornatum fuisse legerit, ob hanc urbis speciem et similitudinem carceres „oppidum“ a Naevio dici putasse. At si verbum dissolvimus in syllabas, quas primitivas grammatici vocant: „ob — ped — um,[9]) manifestam ei cognationem esse cum verbis: impedire, πεδᾶν, πέδη cet. negari non potest. Nemo ergo mirabitur, quod Naevii tempore Romani quemlibet locum septum et clausum, ut carceres etiam et cancellos, oppidum nominaverunt. Translatum inde est verbum in castra et loca munita: Caes. de bell. Gall. V. 21. „Oppidum autem Britanni vocant, quum silvas impeditas vallo atque fossa munierunt, quo incursionis hostium vitandae causa convenire consuerunt.“ Itaque Naevius totum carcerum spatium nominat neque loquitur de solo muro antico, tamquam urbis termino.[10]) Neque vero etiam Varro, quamvis Naevii verba male interpretatus sit, urbis murum designat. Circi enim partem anticam, quae cuneis et foris vacabat „murum“ ab eo dici potuisse nemo negabit. Praeterea urbis murus certe haud parva erat altitudine; quomodo igitur carceres cum moenibus conjuncti cum pinnis et turribus fuisse dicantur? An illa equorum stabula muri urbani altitudinem attigisse putemus?

Ceterum ista de Varronis loco sententia cum errore cohaeret a Beckero jam correcto. Dictatorem nempe Naevii, cui in ipsa urbe equo uti non licuerit, Urlichsius putaverat ex urbe in bellum abeuntem usque ad moenia curru vectum esse, equo extra portam ei praestolante. Sed etiamsi dictatorem jam exeuntem ple-

---

[9]) Cfr. com-petere — com-pitum.

[10]) Urlichs, Röm. Topogr. in Leipz. I. p. 86. „Soviel steht fest, dass die äussere Gränze des Circus (das Oppidum) dem innern Theile entgegengesetzt wird.“ Ead. pag. „Naevius gebrauchte den Ausdruck oppidum, weil er die Stadtgränze bezeichnen wollte.“ Niebuhrius quoque (II. p. 439.) vertit: „Bis an die Stadtmauer.“

biscito equi conscendendi potestatem accepisse non constaret, tamen e paucis illis Naevii versibus apparere videtur dictatorem qualibet de causa in ipso Circo currum conscendisse. Fortasse inter ludos Circenses id factum est.[11])

Tum Bunsenii opinio in dubium vocatur, si ad ipsa et muri et Circi Max. condendi tempora redimus. Idem enim rex, cui sine dubio Roma urbs maximam moenium partem debuit, Tarquinius Priscus, etiam Circo locum suum designavit.[12]) Quis autem sibi persuaderi velit, rem sic ab eo institutam esse, ut totam Circi Maximi vel Murciae vallem a parte urbis inter Capitolinum et Palatinum montem sita sejunxerit? Nulla ei causa aderat, nisi forte parsimoniae causa unum pro duplici muro fecit. Unum imprimis locum Beckerus semel iterumque Urlichsio exprobravit: Liv. XXVII. 37., quo pompa quaedam virginum Carmentali porta per vicum Jugarium in forum indeque per Vicum Tuscum et Velabrum in forum Boarium (secundum Bunsenium porta Flumentana) et in clivum Publicium in Aventino (porta igitur Trigemina) processisse narratur. Itemque triumpho, siquidem Carmentali porta introierat, per Velabrum Flumentana fuisset emigrandum rursusque Triumphali porta ingrediendum, via profecto satis torta. Etiam Plutarchus (Romul. 5.) et Dionysius (V. 36.) inaniter Tuscum vicum et Velabrum *τὴν εἰς τὸν ἱππόδρομον φέρουσαν ἐξ ἀγορᾶς πάροδον* vel *δίοδον* appellarent, si Velabrum duobus muris a Circo seclusum fuisset. At neque suis neque omnibus aliis argumentis indigebat Beckerus ad refutandos adversarios, quoniam tantum abest, ut murum urbis cum Circo Max. conjungere possimus, ut nullum plane murum inter Capitolinum et Aventinum montem secundum Tiberim fuisse certissimum sit. Nam etiamsi firmum Dionysii testimonium non haberemus (V. 23.) *πόλις — ἀτείχιστος οὖσα ἐκ τῶν παρὰ τὸν πόταμον μερῶν*, jam Livii urbis a Porsenna obsessae historia (II. 10.) sufficeret. Quomodo enim is dicere potuit: „alia muris, alia Tiberi objecto videbantur tuta", si tota urbs muris septa fuerat? Porsenna a regione

[11]) Cfr. Liv. XLV. 1. Dionys. V. 47.
[12]) Liv. I. 35.

Janiculi montis veniens ad ulteriorem fluminis ripam castra posuerat et tum demum naves undique acciverat (c. 11.) ad commeatum arcendum et ad praedatores trajiciendos. Parsennam autem fluvium transire posse, Romani bene sciebant, muris igitur tuta esse maxima urbis pars iis videbatur; quid securitatis vero pars urbis Tiberi proxima iis praebere poterat, itidem muro cincta? Prima scilicet fuisset et opportunissima hostibus ad oppugnandum, praesertim quum iste Bunsenii murus satis magnum cis amnem spatium his relinqueret! Neque possemus tum Horatium Coclitem intelligere, Janiculo capto vociferantem, si transitum pontem a tergo reliquissent, jam plus hostium in Capitolio Palatioque fore, quam in Janiculo. Eamdem ob causam Romani inter comitia centuriata, rubro vexillo sublato praesidium Janiculo imposuisse mihi videntur, *φοβούμενοι*. ut ait Dio Cassius (XXXVII. 28.), *μὴ ποτε ἐκκλησιαζόντων σφῶν κατὰ λόχους ἐπιθῶνταί τινες τῇ πόλει, τὸ Ἰανίκουλον καταλαβόντες.*

Removenda igitur est una cum muro Tiberino porta Triumphalis in circo, ac removenda ob ultimum quoque testimonium, quod pro ista sententia est prolatum[13]) ex Memorabilium libro. Cap. 24.: „In summitate triumphalis arcus qui est in capite (Circi Max.) stabat quidam equus aereus et deauratus, qui videbatur facere impetum, ac si miles vellet currere equum. ——— In alio arcu, qui est in fine, stabat alius equus aereus et deauratus.“ Quibus verbis quod portam Triumphalem in Circo volunt confirmari, non possum non mirari. Duo Circi aditus memorantur pariter ornati, qui merito nominantur arcus triumphales, quia pompa triumphalis semper per eos ducebatur. An primum tantum eorum arcum triumphalem credam? Non repugnabo; atqui nihilo secius discrimen retineo, quod inter arcum est et portam triumphalem.

Jam porro Beckeri sententiam audiamus. Is autem fines ipsius urbis a finibus triumpho destinatis distinguens, Triumphalem e numero portarum urbis sublatam in confinio Campi Martii et Circi Flaminii prope Pompejana opera collocavit, ut arcus sit

---

[13]) Urlichs, Topogr. in Leipz. I. p. 88.

per quem imperatores triumphantes e Campo Martio Circi Flaminii regionem introierint. Neque multo secus Prellerus[14]) de ea re judicavit, arcum Beckeri paullo propius urbi admovens, ut juxta Villam Publicam templumque Bellonae positus sit. At ante reliqua haud facile mihi persuadebo de discrimine illo inter triumphi et urbis fines reperto. Etenim locum, ex quo homines triumphantes progredi coeperunt, nequaquam initium triumphi dicere velim. Initium sane erat pompae sed sine propria triumphi notione, quae tum demum accedit, quum currus triumphalis in urbis pomoerium invehitur, quum imperator revera redit in spatium diis, quibus grates acturus erat, dedicatum. Quae causa quamvis a nullo Romanorum scriptore commemoretur, itaque a Beckero vehementer repudietur,[15]) tamen sufficere mihi videtur ad negandum Triumphali portae quemlibet locum extra pomoerium situm.

Sed accedunt alia non minus gravia. Antiquissimo tempore, quo neque Villa Publica neque Septa erant, totus pompae ordo ante portam Campo Martio proximam institui potuit. Circi Flaminii enim regionem sive prata Flaminia tunc ne publicum quidem agrum sed in manibus privatis fuisse, deserta igitur neque aedificiis consita, neque hominum multitudine frequentata notum est. Quum autem et Beckeri et Prelleri portae ad Flaminiam regionem spectent, illo tempore ne existere quidem potuerunt, nisi forte pompae triumphales sine ulla causa duorum saltem millium passuum iter usque ad Carmentalem portam per agros fecerunt. Anno demum u. 533. Flaminius circus exstructus est, quo facto nonnunquam praesertim splendidiores triumphi per hunc quoque Circum ducti sunt. Quid igitur? Num, si unquam fuit, ante Circi Flaminii tempus exstitisse Triumphalem portam negare debemus? Immo certe fuit jam Tarquiniorum aetate.

Attamen propius res intuenda est, ut videamus, quam ob causam Beckerus, vir diligentissimus, tam miram opinionem induerit. Unus nempe locus est, atque unum modo verbum, ex

---

[14]) „Regionen." p. 157 et 239.
[15]) „Antwort." p. 14.

quo non solum Beckeri conjectura fluxit, verum etiam, quia unicus locus est, qui rei obscurae aliquid lucis afferat, unaquaeque de porta Triumphali sententia derivetur necesse est. Neutiquam enim concedo, Josepho, ut homini peregrino, in hac re fidem negandam esse,[16]) quia non cum Vespasiano demum is Romam venit, ibique reliquos vitae annos transegit, sed jam adolescens a. 63. Neronis tempore Romae fuit, itaque procul dubio et linguam et mores et locorum situm nominaque calluit. Is igitur (de bello Jud. VII. 5. 4.) narrat, Vespasianum cum Tito, quum prope Isidis templum pernoctassent, mane ad porticum Octaviae se contulisse, ibique acclamatione militum accepta et precatione acta haec fecisse: *τοὺς μὲν στρατιώτας ἀπέλυσεν ἐπὶ τὸ νενομισμένον ἄριστον. — — Πρὸς δὲ τὴν πύλην αὐτὸς* **ἀνεχώρει**, *τὴν ἀπὸ τοῦ πέμπεσθαι δι᾿ αὐτῆς ἀεὶ τοὺς θριάμβους τῆς προσηγορίας ἀπ᾿ αὐτῶν τετυχυῖαν. Ἐνταῦθα τροφῆς τε προαπογεύοντες καὶ τὰς θριαμβικὰς ἐσθῆτας ἀμφιεσάμενοι, τοῖς δὲ παριδρυμένοις τῇ πύλῃ θύσαντες θεοῖς, ἔπεμπον τὸν θρίαμβον διὰ τῶν θεάτρων διεξελαύνοντες.* Quo loco rectissime Beckerus semper urgebat significationem redeundi vel regrediendi, quae sine fraude a verbo *ἀναχωρεῖν* sejungi nequit. Itaque quum eo tantum rediisse imperatores dici possint, unde venerant, necessario, prope locum, ubi pernoctaverant, triumphalem fuisse portam ratiocinatus est.[17]) Quid igitur? Nobismet ipsi repugnemus? Minime. An critica manu adhibita unam litteram mutantes *ἀπεχώρει* scribamus? Multo minus. Etiam nunc omnibus fere concessis hunc arcum reprobare non dubito. Etenim regressus quidem certe est Vespasianus, id est: eadem via sese recepit, qua venerat, in eamdem regionem ubi pernoctaverat. Quum autem e Septorum regione ad Porticum Octaviae brevissima via inter Capitolium et Circum Flaminium fuisse videatur, quidni Vespasianum hac via regressum ad urbis portam se contulisse putemus, quae esset inter Capitolium et Quirinalem collem? Non nova quidem est haec sententia, sed a Beckero, cui, pompam trium-

[16]) Urlichs, Top. I. p. 88.

[17]) Simul hac conclusione vulgaris Italorum (Nardini, Nibbyi, Caninae) sententia ad irritum cecidit, qui eam inter Carmentalem et Flumentanam fecerant mediam.

phalem statim initio per forum in Tuscum vicum perrexisse non placebat, paene neglecta.[18]) Quid vero ipse de suo triumphi itinere statuit? „Welchen Weg man von da (Porta Carment.) aus genommen, wird nicht ausdrücklich gesagt, ich möchte aber glauben, dass er kein andrer gewesen sei, als der des obenerwähnten Festzugs der Jungfrauen; nämlich durch den Vicus Jugarius bis zum Forum, dann an demselben hin (sub Veteribus) und durch den vicus Tuscus, das Velabrum und Forum Boarium in den Circus.“ Nam ipse inde a Carmentali illam virginum pompam imitari cogebatur loco Suetonii (Caes. 37.)[19]): „Gallici triumphi die Velabrum praetervehens paene curru excussus est axe diffracto“; quoniam si recta via a Carmentali porta triumphus ductus esset, Velabrum tangi non potuisset. Equidem fateor, honestius, ut ita dicam, mihi videri, trans forum sub Capitolio imperatores vectos esse, quam e Jugario in Tuscum vicum per brevem illam fori partem quasi irrepsisse. Praeterea hac nostra via tamquam consecrata thensas deorum in Circum e Capitolio ductas esse scimus.

At, ut ad portam revertar, locum ejus jam video designatum Ratumenae portae, adeo vero incertae, ut Beckerus[20]) dubitaverit, num proprium hoc alicujus portae nomen, an alius fuerit secundarium. Non destruendum igitur mihi est, quod nondum stat immotum; fortasse Ratumena in ea parte muri erat, cui Trajani forum deinde impositum est, fortasse juxta eam fuit, sed Capitolio propior.[21])

Itaque haec porta triumphalis, quum proxima sit Campo Martio, et antiquorum triumphorum conditioni accomodata est et cum Josephi verbis convenit. Tum etiamsi ipse non magnam arcubus triumphalibus auctoritatem tribuam, non tamen praetereo, quod in ipsa illa via, qua a Ratumena porta ad forum itur (Argentarius clivus appellabatur, hodie: Salita di Marforio) duo ar-

---

18) Handb. I. p. 150. et 153.

19) Cfr. Dio Cass. XLIII. 21. Plin. hist. XXVIII. 4.

20) „De Muris.“ p. 68.

21) Plut. Poplic. 13., (οἱ ἵπποι) τῷ καπιτολίῳ προσμίξαντες ἐξέβαλον αὐτὸν ἐνταῦθα παρὰ τὴν πύλην, ἣν νῦν Ῥατουμέναν καλοῦσιν.

cus nominantur in Ordine Romano anni 1143. (apud Becker. not. 717.): „Ascendit (Papa) per Pineam juxta Palatinam, prosiliens ante sanctum Marcum (Palazzo di Venezia), ascendit sub arcu Manus carneae per clivum argentarium inter insulam ejusdem nominis et Capitolium, descendit ante privatam Mamertini (carcerem), intrat sub arcu triumphali inter templum fatale (Janum) et templum Concordiae“ c. q. s. Bunsenius hunc arcum secundum, cujus opera caelata adhuc in ecclesia S. Martina reservantur, Marci Aurelii fuisse putat. Mihi quidem in mentem venit, primum arcum, qui Manus carneae vel Panis aureus (Beck. p. 359.) dicitur, Marco Aurelio dedicare, litterarum formas inter se comparanti:

M	A	R	C.	A	U	R	E	L.
M	A	Nus	C.	A	R	N	E	Æ.
P	A	Nis		A	U	R	E	us.[22])

Diis autem, quos Josephus παριδρυμένους τῇ πύλῃ nominat, certe adnumeranda est Fortuna Redux, cui Augustus aram et Domitianus templum in Campo Martio dedicaverunt. Omnino saepius fornicibus triumphalibus locus Fortunae fanis proximus videtur esse electus, ut ab eodem Domitiano in campo Martio, a Stertinio in foro Boario.[23]) Quomodo autem triumphus per Circum Flaminium ductus, ad portam triumphalem pedes reflexerit, ejus rei nullum habemus testem, neque offendi debemus triumpho quasi in orbem acto, quoniam porta sine dubio prior exstitit Circo.

Postremo si quaeritur, quid de eorum sententia sit censendum, qui portam triumphalem nonnisi triumphis patuisse statuunt, semper puto eam incertam fore. Non enim confirmari poterit Ciceronis verbis (in Pison. c. 23.): „Quasi vero id aut ego scire debuerim aut vestrum quisquam audierit, qua tu porta introieris; modo ne triumphali, quae porta Macedonicis semper proconsulibus ante te patuit,“ ubi Cicero „patendi“ improprietate, quam grammatici dicunt, eadem ratione usus esse potest, qua Livius

[22]) Sic porta quoque Aurelia aetate quae dicitur media, Aurea vocata est. Vid. Preller, Reg. p. 223.

[23]) Martial. VIII. 65. Liv. XXXIII. 27.

„claudendi“ libr. XLV. 39.: „L. Paulli triumpho portae claudentur?“ Deinde ut porta Carmentalis etiam Triumphalis praeter medium fornicem maximum duos quoque Janos habere poterat. Si vero circum Max. contemplamur, qui quamquam ipsos deos immortales intra parietes suos videbat atque triumphis pompisque celebrabatur, tamen non sollemnibus tantum diebus patebat, verum semper pervius et frequentatus erat, non e Romanorum sentiendi ratione fuisse videtur, honorem triumphalis portae quotidiano usu imminutum esse. Alia quoque res est intrare, alia invehi urbem, id quod nunquam reipublicae tempore cuiquam licuit praeter imperatores triumphantes.

Loco igitur muri investigato, quo triumphos pomoerium transiisse, verisimile saltem est, multo facilius reliquam eorum viam in urbe ipsa persequi possum. Pompam a porta per clivum Argentarium ad forum, deinde per vicum Tuscum et Velabrum in Circum perrexisse, jam supra demonstravi. Sed inter Velabrum et Circum parva quoque fori Boarii pars tangenda erat, quae sub Germalo, declivi illo Palatini montis latere sita videtur fuisse. Ibi enim Herculis Triumphalis signum stabat, quod triumphorum diebus triumphali veste ornari solebat.[24]) Ejusdem autem Herculis fanum cum ara Maxima conjunctum fuisse Tacitus testatur.[25]) Itaque quum ara Maxima a Servio[26]) „post januas Circi Maximi“ et a Dionysio[27]) „Βοαρίας λεγομένης ἀγορᾶς πλησίον“ fuisse dicatur, quum praeterea a Tacito[28]) fines Romae quadratae ita designentur, ut ara Maxima muro Palatinae urbis contineatur, rectissime Prellerus[29]) cum Beckero arae Max. et Herculi Triumphali locum suum in angulo fori Boarii qui sub Palatino est reddidit. Haud dubie igitur pompa triumphalis Herculis fanum

[24]) Plin. XXXIV. 7. 16. „Hercules ab Evandro consecratus, ut produnt in foro boario, qui triumphalis vocatur atque per triumphos vestitur habitu triumphalia.

[25]) Annal. XV. 41. „Magna ara fanumque quae praesenti Herculi Arcas Evander sacraverata.

[26]) Annal. VIII. 271.

[27]) I. 40.

[28]) Annal. XII. 24.

[29]) Region. p. 153.

praeteribat, id quod Hercule ad Trigeminam portam posito[30]) fieri non potuit. Denique non desunt, qui hunc Herculem fuisse signum dei in aperto stans arbitrentur. At primum simulacrum Evandri in aede dei positum commemoratur,[31]) tum etiamsi duo dei signa ibidem fuissent, statuam dei extra aedem magis honoratam esse quam ipsam cultui sacratam, minus crediderim.

Jam vero ingressus Circum Maximum triumphus per alterum Circi arcum exibat et vallem inter Coelium et Palatinum montes emensus, Sacrâ viâ in forum descendebat. Certissima ea triumphalis viae flexio fit his Horatii versibus (Epod. VII. 7.)

„Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via.“

et (Od. IV. 2. 38.):

„Concines majore poeta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum merita decorus
Fronte Sygambros.“

Nam inde a Titi arcu, qui est medius inter Metam Sudantem et Fabium fornicem,[32]) finem propriae Sacrae viae, revera descendendum erat usque ad Forum, quoniam locum illius arcus summam totius viae partem fuisse eamque ob causam Sacrum Clivum appellatum esse inter omnes constat.

Tum per Augusti arcum, qui juxta Caesaris aedem stabat,

---

[30]) Urlichs, Röm. Top. in Leipz. I. p. 90.

[31]) Macrob. Saturn. III. 6.: „Cornel. Balbus ait, apud aram maximam observatum, ne lectisternium fiat. Custoditur in eodem loco ut omnes aperto capite sacra faciant. Hoc fit, ne quis in aede dei habitum ejus imitetur, nam ipse ibi operto est capite.“

[32]) Non possum hic tacere de loco illo obscuro Trebellii Pollionis apud. Salonin. I.: „Fuit denique hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est ante Sacram viam intra templum Faustinae advecta ad arcum Fabianum.“ Beckerus, postquam (de mur. p. 37.) locum emendare noluit, tamen postea (Handb. I. p. 241.) conjecerat scribendum esse: „intra (i. e. intra latitudinem) templum Faustinae a Vesta ad arcum Fabianum (eunti);“ denique (in supplem.) correxit: „erecta.“ Equidem me eorum sententiae esse fateor, qui mirabili vi praepositionis „intra“ offenduntur; itaque puto scribendum esse: „intra templum Faustinae ac Vestae ad arcum Fabianum.“ Fabianus enim fornix revera medius erat inter utrumque templum, neque minus igitur statua ad fornicem posita.

rursus forum intrabant et eo quidem in latere, quod „sub Novis“ appellabatur itemque usque ad clivum Capitolinum pars Sacrae viae erat. In foro ipso magistratus in rostris et subselliis[33]) sedentes imperatori triumphanti assurgebant. Clivus ipse sub arcu Severi ad laevam ascendebat, quare pompae ubi huc usque venerunt, flexae esse dicuntur.[34]) Eximiae pietatis exemplum Caesar et Claudius dederunt, omnes Capitolii gradus genibus erepentes.[35])

---

[33]) Sueton. Caes. 78. „Triumphanti et subsellia tribunicia praetervehenti sibi unum e collegio Pontium Aquilam non assurrexisse adeo indignatus est“ e. q. s. Sueton. Tib. 20. „A Germania in urbem post biennium regressus triumphum — egit — — — ac priusquam flecteret, descendit e curru, seque praesidenti patri ad genua submisit.“ Cfr. Dio Cass. XLIV. 11.

[34]) Tib. 20. Cic. in Verr. V. 30. „Cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt.

[35]) Dio, XLIII. 21. LX. 23.

Druck von Otto Henning in Greiz.

Greiz, Druck von Otto Henning.

[illegible]